COMMENTARII IN QVINTVM ANtonij Nebrissẽsis, editi à magistro Alfonso Torres Turriculano, amplissimi diui Isidori collegij patrono, & eloquẽtiæ professore in Academia Complutensi.



COMPLVTI.

¶ Apud Ioãnem à Villanoua. Anno 1569.

EL licenciado Lopez de Salas juez y Vicario general enla corte de Alcala y arçobiſpado de Toledo. &c. Por la preſente doy licencia para imprimir eſte libro porque conſta eſtar viſto y examinado. Fecha a dos de Setiẽbre de mil y quinientos y ſeſenta y nueue años.

El licenciado Lopez de ſalas.

Chriſtoual dela flor

¶ Permagnifico domino Rectori Didaco Sobannio, & præstantissimis Collegis Diui Illefonsi, Cóplutensis scholæ moderatoribus, Alfonsus Torres Turriculanus. S.

OMNES Illæ Resp. Rector permagnifice Collegę omnibus diuinæ sapientiæ ornamétis præstantissimi, in quibus viri sapientes amplissimis honoribus aucti cumulatiq́; fuere, tantum olim rerũ gestarũ gloria, nobilibus triumphis, domesticę disciplinę & institutionis prędicatione floruisse dicũtur, vt & reliquis totius orbis nationibus, seiunctissimisq́; populis ad sempiternã sui nominis propagationem viã aperuisse, & ad rectã rerũ cómuniũ gubernationẽ publica illis exépla proposuisse videãtur. Nã quando eorũ labor, qui sese totos Philosophicis stu

dijs cõſecrarunt, plurimũ habet apud ciues autoritatis & pretij, debitisq; honoris & gloriæ muneribus honeſtatur, tũc ad ſuæ Reip. incolumitatẽ tuẽdã, dignitatẽ amplificandã, ardẽtioribus flãmis incẽduntur, donec perpetua ipſorũ vigilia & ſtatione in eo gradu reponatur, in quo nullos aduerſariorum incurſus, nullos inuidiæ aut maleuolentiæ morſus, nullas temporũ viciſsitudines, nullas deniq; fortunę mutationes pertimeſcere poſſe videatur. Et quia ex Annaliũ vetuſtate exẽpla repetẽtes didicerũt, nullã eſſe ciuitatẽ tam vndiq; armis & potẽtia munitã, quæ diu ſtare poſsit, ſi legũ ſeueritate deſtituatur, in ea vna re vehemẽtiùs deſudant, vt tã pręclaris decretis & inſtitutionib⁹ gubernẽtur ciues, vt eorũ ſplẽdore & magnitudine cæterarum gentiũ gloria & celebritas, obſcuretur, & ſempiterna quadã obliuionis iniuria obruatur. Cuius rei (ne lõgiùs euagetur oratio) Athenienſis illa Reſpu. bonarũ artiũ & ingeniorũ parẽs domeſtica ſuppeditabit exẽpla, quæ poſtquã ſummũ illũ Philoſophũ Solonẽ in honore ha-

bere cœpit, & legibus ab ipſo diuina potiùs, quàm humana prudẽtia excogitatis vſa eſt, vſq; adeò floruiſſe fertur, & in tã alto dignitatis gradu fuiſſe collocata, vt reliquæ nationes æmulationis & inuidiæ ſtimulis agitatæ, ad eam, ceu ad ſacrarũ legũ inuẽtricẽ & magiſtram cõfugerint, ne his legibus orbatæ viderẽtur, quæ & ad frænandas populares inſanias, & furores bellicos coërcẽdos plurimũ adiumẽti attuliſſe crederẽtur. Quid de Lacedæmonijs dicam? qui cùm primò rerũ omniũ luxuria diffluerent, & delicatè ac molliter viuentes in vitiorũ omniũ colluuie turpiter volutarẽtur, ita repẽtè vetere viuẽdi inſtituto permutato, ad nouam vitæ rationem ſeueriſsimis Lycurgi legib⁹ traducti ſunt, vt blandis illis voluptatũ illecebris à ſenſib⁹ corporeis procul amandatis, in omni dolorũ tolerantia, incredibili paupertatis patientia, rerũ humanarũ cõtemptione exercerentur, mortem glorioſam vitę ignominioſæ præferentes. Hoc idem video huic veſtræ Academiæ contigiſſe, Rector & Collegæ ſapientiſsimi, quæ ab

exiguis initijs progreſſa ad eũ gloriæ ſplẽdorẽ, nominis amplitudinẽ aſcẽdit, vt de ruina poti⁹ timendũ, quàm de altiori, aut meliori loco ſperãdũ eſſe credamus. Eſt enim ea rerũ humanarũ natura, vt poſtquã ad ſummũ faſtigiũ peruenerint, alti⁹ aſcẽdere nõ poſsint, ſed in deteriorẽ quotidie locũ quaſi fatali quadã neceſsitate ꝓlabãt. Quę tãta & tã inaudita felicitas nõ aliunde illi prouenire potuiſſet, niſi viros omni diſciplinarũ genere pręſtãtes ſemꝑ aluiſſet, & ſũmis honoribus ac ſingulari quadã beneficẽtiæ & liberalitatis ratione fuiſſet proſecuta. Quo vno potiſsimùm nomine factũ eſt, vt in hoc veſtro gymnaſio nõ humanitatis ſtudia tãtùm, ſed ingenuę doctrinæ, atq; homine liberaliter inſtituto dignæ, vſq; adeò floruerint, vt ad earum artium mercaturã innumeri ſcholaſtici cuiuſque ordinis & ætatis cõfluxerint, exiſtimãtes id, quod claro experimẽto certũ eſſe didicerũt, ſe nuſquã alibi, aut melioribꝰ ad vitam cum virtute traducẽdam inſtitutis, aut pulchriore ad ingeniorum culturam ſupellectili formari poſſe,

quàm in Academia Cõplutẽsi, quę fertilissimum apud oẽs nationes habetur bonarum disciplinarum emporium. Quid de Theologia dicã sciẽtiarũ omniũ Principe, & Regina? quę cùm auorum & parẽtum nostrorum memoria, in luctu & squalore iacẽret sordidata, ita Complutensium diligẽtia, & vehemẽti studio veterẽ formam, & antiquum nitorẽ recepit, vt suę lucis & claritatis magnitudine, ignorationis tenebras ex hominum pectoribus longè propulsauerit, & mortalium quorundam animos nouarum opinionũ peruersitate corruptos ad meliorẽ vitæ cõditionẽ, securioremq; portum se recipere coẽgerit, ne tot errorũ laqueis implicati seipsos expedire nõ possẽt, donec ad inferos æternis supplicijs puniẽdi detruderẽtur. Quòd si reliqua sciẽtiarũ genera, quæ in hoc vestro toti⁹ literaturę domicilio eminentẽ locũ tenent, dicendo persequi vellẽ, modum excederet oratio, neq; posset pro rerum dicẽdarum multitudine intra præscriptos orationi cancellos cõtineri. Satis sit tamen vnum illud ad cõsummatam

huius literariæ officinæ celebrationẽ,prodijſſe ſcilicet ex ea innumeros tũ Magiſtros,tũ doctores varijs doctrinę dotibus, & omni ornamentorũ genere cumulatos, qui,in ſua quiſq; arte, adeò excellẽtes extiterunt, vt barbariã,quæ politiorib⁹ Muſis, & bene natis ingenijs exitiũ & interitũ minabatur., ex Hiſpaniæ finibus cum magno eius dedecore & turpitudine relegauerint, multorũ mentibus atra quadã ignorantiæ caligine cæcatis lucẽ inuexerint,ac poſtremó viã aperuerint,qua poſſint homines turpiſsimis vitiorũ maculis & ſordibus deformati ad ſanctiorẽ vitæ rationẽ reſipiſcere,& ad certiſsimã futuræ immortalitatis ſpectationem aſpirare. Quæ cùm ita ſint, turpiſsimũ fore exiſtimaui, ſi cùm cæteri,qui mediocribus ab Academia veſtra beneficijs affecti ſunt, omnẽ ſuam operam,curã, cogitationẽ in eius æternitatẽ contulerint,& nulla in re alia ſibi acriore animorũ intẽtione elaborandũ exiſtimarint,quàm vt ſuis lucubrationibus eius dignitas & autoritas amplificata videretur,ego ſolus erga matrẽ indulgen

dulgentiſsimam ingratitudinis notam in currere͂, quæ me iam inde ab ſtudioru͂ incunabulis, puerilisq́; doctrinæ rudime͂tis omnibus eſt officijs liberaliſsimè, honorificẽtiſsimeq́; proſecuta. Nam cùm pueritiam, & adoleſcentiam noſtram in liberalium artiu͂, ac deinde triu͂ linguaru͂ Collegio victu ſalubri & te͂perato ſuſte͂taſſet, poſt decurſa iam tande͂ noſtraru͂ vigiliarum & laboru͂ curricula, me ampliſſimi huius Diui Iſidori Collegij præfecturæ patronu͂, moderatore͂q́; co͂ſtituit, quo ſingulari beneficio & liberalitate, quàm maximus tu͂ ad noſtraru͂ fortunarum, tu͂ ad honoris et autoritatis noſtrę amplificatione͂ cumulus acceſsit. Cùm igitur de referenda Academiæ gratia diu multu͂q́; atte͂tiùs cogitaſſem, ad hos de Proſodia co͂me͂tarios co͂ficiendos animum adieci, quòd intelligere͂ me nulla re alia magis illi poſſe gratificari, quàm ſi in ea parte noſter labor & induſtria exerceretur, quæ ad ſtudioſam iuuentute͂ erudiendam eſſet quam maximè neceſſaria. Multi (fateor) ex noſtris, tum Latinis, tum Græcis literis eru

diti præcepta ſcriptis mãdata reliquerũt qbus puerilis ętas inſtructa ad vtriuſq; linguę cognitioné poſſet ſũma quadã facilitate peruenire. Multi benedicẽdi documẽta tãta orationis elegãtia, verborũ dulcedine, ſtyli ſublimitate tradiderũt, vt ad Ciceronis lucernã videantur multo ſtudio elucubrata, cùm nihil ad eloquentiam formandã potuerit aut excellentius, aut diuinius excogitari. Verùm ſi rẽ altiùs perpẽdatis, nullus ex his omnibus adhuc extitit, qui in euoluẽdis Proſodiæ myſterijs aliquid laboris, aut operę ſibi ponendũ curauerit, aut quia grauiorib⁹ occupationibus impeditis nihil potuit ad hæc ſtudia recolẽda tẽporis ſupereſſe, aut qa in hoc munere parũ exercitati rẽ tantã, tãq; difficilẽ perfiçere nõ potuerũt. Quo certè nomine ſpero hanc noſtram cõmentationẽ vobis futuram gratiorẽ, q cùm tantam Reip. literariæ molẽ veſtris humeris impoſitam ſuſtineatis, ea veſtros animos perpetuò tenet ſolicitudo, ne vlla ſciẽtiæ parte deſtituat, quæ ad publicam vtilitatem cõſtituendam momentũ aliquod afferre poſ-

posse videatur. Offero igitur precipuè tibi hāc primā mei ingenij fœturā Didace sapiētissime, q cùm incredibili diligētia, sūma iudicij maturitate, prudētia plusquā senili, diuino cōsilio, animo affectuū & pturbationū procellis vacuo, huius Academię gubernacula tēperaueris, & cōpositis diuersarū partiū factionib⁹, extinctis ciuiliū discordiarum flammis, eam insumma otij et pacis trāquillitate cōseruaueris, tam clarū amoris & beneuolentiæ argumentū sapientiæ studiosis omnibus exhibuisti, vt nō dubitem, quin eâdem beneuoli animi propensione, sis meorum studiorū primitias in publico vniuersitatis ærario repositurus, vt publicum atq; perpetuum extet meę in parentē Academiam gratitudinis testimonium, quod nulla hominum obliuione obscurari, aut vlla vetustatis iniuria posit aboleri. Bene vale cum tuis omnibus Collegis diu incolumis. Compluti anno à salute mundi per CHRISTVM restituta sesquimillesimo quinquagesimo nono. Ad idus Octobris.

ALFONSVS TORres Turriculanus discipulis suis salutem.

NVNQVAM putaui preces vestras tantũ apud me habituras fuisse momẽti auditores optimi, vt dum vestræ volũtati morẽ gerere studemus, vestrisq́; cõmodis incredibili quadã animi propẽsione inseruimus, seuerissimã iudiciorũ aleã subire, & præiudicatæ de nobis opinionis iacturã facere turpissimã cogeremur. Intellexi iã aperto satis experimẽto discipulorũ petitionẽ armatam esse, ac violentã, q̃bus si quidpiã neges honesta præsertim postulãtibus, nõ superciliosæ tãtùm austeritatis, sed ingratitudinis etiã suspitionem incur

ras, quam nulla deinde posśis amoris, aut beneuolentiæ significatione ex eorũ animis reuellere. Quando igitur ego vt vestris omniũ emolumẽtis consulerẽ, & vt vestros animos à tãta excipiẽdi nostras inquintũ Nebrissensis annotationes molestia & fastidio leuarẽ, nõ dubitaui Typographo excudẽdas tradere, vt ex eius libraria officina euulgatæ varias multitudinis sentẽtias iudiciaq́ hominũ diuersa experirẽtur, superest, vt vos tãto studio, tãto mẽtis ardore, nostras vigiliastuẽdas defendẽdasq́ suscipiatis, ne nos laboris ꝑ vobis suscepti posśit aliq̃ndo pœnitere. Valete, Cõpluti anno humanæ reparationis. 1559. Ad Idus Octobris.

Magistri Hieronymi Ficai Carmen in autoris commendationem.

Debemus multum superis, debemus & isti
Aetati, tales quae dat amica uiros.
Debemus multum Musis, debemus & astris,
Nostra quòd auratis uultibus ora uident.
Sed mage debemus nobis, qui talia nacti
Secula, tam uarijs undiq; plena bonis.
In quibus Aoniae repetunt sua barbita Musae,
Et plangit ueterem cantor Apollo lyram.
Iam serpunt hederae, iam laurus sacra uirescit,
Atque habet Heroas quaelibet ora suos.
Inter quos noster Torres (si uera fatemur)
Ecce iubar nobis protulit ille nouum.
Qui tornare docet diuina Poëmata lector,
Ludere & arguta carmina culta lyra.
Dispeream, si lusit eo quid doctius alter
Hactenus: aut unquam fecit acuta magis.

❡ Eiuſdem carmen in commendationem operis.

I, felix auibus liber ſecundis,
Et felix patulum vade per orbem,
I, quid te tenet, ô libelle felix?
Num vulgi ſtolidas verêre ſannas?
An cæcam rabiem & feram inuidorum,
Ronchos, auriculas, ciconiasque
Illorum tu hominum verêre, quorum
Cùm dignum cerebro nihil, lucerna
Nil extet, tamen hi volunt videri
Factorum bene tetrici laborum
Cenſores, rigidi: Catoniani.
Hos tu, ſi ſapis, ô libelle, diri
Fœtorem fugito velut Barathri.
Viues, ne dubita: legêre doctis
Saltem, queis placuiſſe ſumma eſt
Laus, ergo ſolitos metus relinque,
Et felix auibus liber ſecundis
Titanis pete cardines vtroſque.

¶ Eiusdem ad lectorem cãdidum carmen Phaleuticum.

Si te Pierides iuuant, si amœni
Te fontes capiunt: ioci & sales te
Musarũ exhilarãt: placẽtq; voces
Quas subtus folijs aues canoræ
Emittũt: placidæ et placẽt camœnæ
Si versus teneri, & sciti Phaleuci
Sũt cordi, et graciles modos ferire,
Lector cãdide voluito frequenter
Hũc librũ, modò sis benignus, et nõ
Nasut⁹, lege: sin sec⁹, malã in rem i
Censor, nec lege, nec vide, facetũ
Lectorem volo: nõ tamen seuerũ.

COMMENTARII IN QVINTVM ANtonij Nebriſſenſis.

TERTIO libro egit Antonius Nebriſſẽſis de proſodia, & quatuor ſyllabæ accidentibus, tenore, ſpiritu, tempore, literarum numero. Ab ſpiritu, & literarum numero, facilè ſe ipſum expediuit, reliqua duo tenorem, & tempus, quia multi negotij & difficultatis plena coniecit in hunc locum. Et quia tempus requirit ſyllabarum quantitatem, ideo de ea primo loco ſuſcipietur diſputatio. Et quoniam ex ſyllabis conſtituuntur pedes, diſſeremus deinde de pedibus. Tum de generibus Carminum, quę ex pedibus componuntur. Poſtremo de tenore ſiue accẽtu cuiuſque ſyllabæ. Percurremus igitur ſigillatim ſuo ordine horum omnium tractationem non contenti ſolam ſyllabarum quantitatem deguſtaſſe, ſed rationem omnibus aperuiſſe, qua & carmina metiri poſſint, & apta pronunciatione ſyllabas efferre non ignorent.

Præfixi tituli explicatio.

Pro intelligentia tituli notare oportet ex ſententia

tentia Quintiliani. lib. 1 cap. 4. de Grammatica, duplicem eße Grammaticam Historicen, & Methodicen, Historice in enarrandis autoribus uersatur, Methodice cõtinet artis praecepta. Praeter missa Historice siue narratiua, quae ad praesens institutũ nihil cõducit, rursus Methodice, quae praeceptiua etiam appellatur, distribuitur in quatuor membra, Orthographiam, Prosodiam, Etymologiam, Sintaxin, quae longo spatio inter se dißidẽt, cùm diuersa sit illis subiecta materia. Nam Orthographia de literis disputat, Est enim sciẽtia docẽs quibus literis singulae dictiones scribẽdae sint. Prosodia de syllabis. Est enim sciẽtia demõstrans quo accentu quaeque dictionis syllaba efferatur. Etymologia de dictionibus, Est nanque scientia ostendens ueram dictionum originem. Syntaxis postremò tractat de partium siue dictionum inter se constructione, nam est scientia, qua bona constructio à mala dignoscitur. Distinguntur igitur hae quatuor partes praeceptiuae Grammaticae inter se ipsas, quia diuersa est illis proposita materia, circa quam uersentur. Quo etiam pacto uidemus uniuersa scientiarum genera distingui, quia singulis singulae subijciuntur materiae, in quibus suas uires exercẽre poßint. sic Theologia à Medicina differt. quia Theologia de Deo sermocinatur, Medicina uerò de humanorum corporũ curatione. Sic etiam Grãmatica, Rhetorica, Dialectica differũt. Nam Grammatica de sermone apto & congruenti disserit, Rhetorica de orationis flosculis & ornamen

namentis, Dialectica de ueritate, aut falsitate propositionum.

Illud tamen notatione dignum est, Grammaticam præceptiuam neque in plures, neq; pauciores partes, quàm quatuor, secari posse. Nam in qualibet oratione quatuor tantummodò considerari solent, litera, syllaba, dictio, integra oratio. Et cùm quatuor illæ partes præceptiuæ Grammaticæ circa illa quatuor orationis membra exerceantur (Orthographiæ enim respondet litera, Prosodiæ syllaba, Etymologiæ dictio, Syntaxi tota partium orationis constructio) superest, præceptiuã Grãmaticam quatuor tantùm, & neq; pluribus neq; paucioribus membris constare. Vnde colligo, nõ extra rem præsentem sermonem de prosodia fuisse institutum, cùm de syllabarum quantitate futura sit disputatio.

De syllabæ definitione.

Quia tota fermè quinti libri tractatio est de syllaba, non erit à nostro instituto alienum, si tradamus definitionem syllabæ. Syllaba est comprehensio literarum enunciata, quæ uno accentu, & uno spiritu indistanter profertur. Comprehẽsio literarum quia de ratione syllabæ est plures literas comprehendere: quòd si una uocalis syllabam per se ipsam constituat non appellabitur propriè syllaba. Nam ad propriam syllabam necessaria est plurium literarum complexio, erit tamen uera syllaba, nam ad uerã syllabã satis est literã per se uocem edere, ut A, in uerbo amo. E. in uerbo

edo. O. in oro. idem erit iudicium de reliquis uocalibus, quæ ueram syllabam faciunt, uerùm impropriam. Vnde licebit colligere duplicem esse syllabam, alteram propriam, alteram impropriā, propria pluribus literis constat, impropria unica tantùm, ut quælibet uocalis. Enunciata, quia syllabæ forma enunciatio est, non scriptio. Cùm enim enūciatur syllaba suos habet neruos & robur, cùm uerò scripta est, uidetur quodammodo mortua, cùm suæ prolationis spiritu sit orbata. Dicitur etiam enunciata, quia tametsi coniungas plures literas, si non possint liberè enunciari, non cōstituent syllabam, ut. B. C. D. quod significare uoluit Priscianus, cùm libro secundo, cap. primo de syllaba, in hunc modum syllabam definiuit, Syllaba est comprehensio literarum consequens, quia si literæ non sint consequentes, hoc est, non possint coniungi inter se, & copulari, non constituēt syllabam. Vno accentu, quia quælibet syllaba habet tantùm unum accentum, qui est forma illius syllabæ, siue ille sit acutus, siue grauis, siue circunflexus: imò nec dictio potest duos accentus prædominantes sortiri, quod si fortè contigerit, alter proprius erit, alter alienus. Quod præceptum sit propter particulas quasdam, quas Græci Encliticas appellant, id est inclinatiuas. Quarum ea natura est, ut suum accentum inclinent, & remittant ad ultimam dictionis præcedentis syllabam. Sunt autem particulæ inclinantes. Cum. que. NE. Ve. Vno spiritu, tenui uel

den

accenſo: nam ſyllaba aut leniter profertur, ut A. in amo. Aut Aſperè, ut. Ha. in hamus. Indiſtanter, id eſt ſine ulla diſtantia, aut mora. Nam omnes literæ, quæ ſunt in ſyllabà, debent colligi ſub uno uocis ictum, ut. Do. in doceo. Dicitur autem indiſtanter ad differentiam dictionis. Nam dictio tot habet diſtantias, quot ſyllabas, ut, do. mi, nus, tres habet diſtantias, quia tres habet ſyllabas. In ſyllaba uerò unica tantùm eſt diſtantia, ut in Do.

Ex finitione ſyllabæ ſequitur, non poſſe dari ſyllabam ſine uocali. Nam quælibet ſyllaba conſtat ſuo accentu, ut ex ſyllabæ definitione facilè patêre poteſt. Accentus autem collocatur in ſylla ba longa, uel breui, ſyllaba uerò dicitur lõga, uel breuis ratione uocalis, non autem cõſonantis, nã conſonantes nec longæ, nec breues ſunt, ergo ſyl laba non erit ſyllaba ſine uocali, ſed tot erunt ſyl labæ in qualibet dictione, quot erunt uocales. Et ſi urgeas cum Quintiano de, ſt, quæ uox ſilentiũ indicit, quòd ſyllaba ſit ſine uocali. Reſpõdeo eã uocem à ratione ſyllabæ excludendam eſſe, cùm in ea non eluceat uocalis aliqua, & neque longa, neq; breuis dici mereatur.

Argumenta contra diffinitionem ſyllabæ.

Placuit tamẽ ut ſcholaſticorũ ingenia acueremus, & ut ueritas diffinitionis ſyllabæ eſſet omni bus magis nota, eam argumentis labefactare. Cõ trà, Diphthõgus eſt una ſyllaba, & nõ profertur uno ſpiritu, quia unaquæq; uocalis in Diphthon-

go suum habet sonum, & utraque per se effertur, ergo neq; uno spiritu, neq; indistanter Diphthongus pronunciatur. Responderem duas illas uocales in Diphthongo duplicem habere sonum, uerùm ita sua natura inter se conglutinari, ut uno tantùm spiritus impetu pronunciari poßint.

Argumentor item de syllaba, si, quæ si per se sumatur, habet accentum acutum, si uerò ponatur in coniunctione, nisi, habet accentum graue, ergo una syllaba duos sortitur accentus. Responderem syllabæ diffinitionē traditam fuiße de syllaba per se sumpta, quæ nunquam duos habebit accentus, si uerò ponatur in dictione, nihil mirum, si alterum accentum sortiatur.

De his quæ accidunt syllabæ.

Ex communi Grammaticorum sententia quatuor accidūt syllabæ: tenor, spiritus, tempus, literarum numerus. Tenor est uoculatio illa, qua syllaba uel eleuatur, uel deprimitur, uel eleuatur simul & deprimitur. Quorum primum illud, accentus acutus, secundum, accentus grauis, tertium, accentus circunflexus uocatur. Hi autem accentus, acutus, grauis, circunflexus, singuli supra singulas dictiones à Græcis notari solent. Latini autem negligentiores in his signandis, atque inscribendis semper fuere. Vnde nullos ferè syllabis tonos apud Latinos inscriptos uidem⁹, præterquàm his, quæ differentiæ causa alicubi notantur, ut in uerò, aliâs, & similibus. Spiritus est, quo syllaba alia leniter, alia asperè pronunciatur. Leniter,

ut A, in ago Asperè, ut Ha. in habeo. Apud Græcos, uterque spiritus tam tenuis, quàm aspiratus, suam notam inscriptam syllabæ habet. Latini autem solum asperum signant, ea figura uidelicet, quam aspirationis notam appellamus; ut homo, hora. Tempus est syllabæ efferendæ mora, nã syllaba breuis, breui mora, longa longa mora, communis indifferenter breui uel longa, effertur. Literarũ numerus est cõprehensio literarũ syllabã cõstituentium, quæ ad summum possunt esse sex, ut scrobs, ad minimum una, ut quælibet uocalis.

Quæritur tamen circa hoc postremum accidens syllabæ, utrùm syllaba ad plures quàm sex literas posit procedere. & utrùm uocalis quælibet constituat semper syllabam? Respondeo syllabam nõ posse pluribus quàm sex literis constare in Latino sermone: quòd si fortè plurium literarum syllaba reperiatur, illa erit inuentu rara, & nos de cõmuni syllabarũ natura præcepta tradimus. Quintianus Grammaticus asserit Aldum Manutium utriusq; linguæ reparatorem (sic enim ipse loquitur) inueniße apud Vitruuiũ striglx septem literarũ syllabam. Ego tamen apud Vitruuium non striglx, sed strix inuenio: neque usquam ab ijs autoribus, qui de uocabulorũ significatione tractãt, eius syllabæ mentio facta est. Ad illud de uocalibus respõdeo, sex modis uocalem nõ posse syllabã cõstituere. Primò, quando est liquida, ut. V. in quis. Secũdò, quando exteritur per synalœpham, ut in uulgato illo Vergilij carmine, Ille ego qui quondam i

Tertiò, quando expungitur per ecthlipsim, ut apud eundem, Venturum excidio Libyæ. Quartò, quando duæ uocales per diphthongum conglutinantur, ut in audio. Quintò, per synæresim, ut in nominatiuo plurali, Dij. Sextò, quãdo uocalis á Poëtis fit consonans, ut in tenuis, quod paulò post in quæstionibus de. V. explicabimus. In reliquis, his tantum sex locis exceptis, ubicunque uocalis fuerit reperta, syllabam constituet.

Si quæras de consonanti, utrùm efficiat syllabam? distinguo, aut illa per se profertur, aut cum uocali, cui adhærēre solet, si per se proferatur, non efficit syllabam, quia cùm syllaba debeat enuntiari, & nulla consonans per se enuntietur, fit, ut nec poßit syllabam facere, dicta est enim consonans, quia nõ per se, sed cum alijs sonat. Si uerò iungatur uocali, aut expressæ, aut subintellectæ, constituet syllabam: de expressa sit exemplũ, in Do, *de subintellecta sit pro exemplo autoritas Vergilij in priapo, Cùm loquor, una mihi peccatur litera, nam.* T. P. *dico semper, blæsaq́; lingua mea est. Quintianus Grammaticus Epographiæ secunda cap. 3. addit alia quatuor syllabæ accidentia, Ectasim, Systolē, Synæresim, Diæresim. Ectasis est extensio siue productio syllabæ contra naturam dictionis facta, ut in arietibus, uocalem* E. *breuem produxit* Statius *secundo* Thebaidos. *Apparet, aut celsum crebris arietibus urbis. Systole est correptio syllabæ cõtra naturam uerbi facta, ut in tulērunt uocalem.* E. *longã corripuit*

Ver

Vergilius in quarta Ecloga. Matri longa decem tulerunt fastidia menses. Synęresis est conglutinatio duarum uocaliũ in unã, ut Phætõ pro Phaëtõ. Diæresis est diuisio unius syllabæ in duas. Vt aulai pro aulæ. Verùm deceptus fuit hac in parte Quintianus, nam hæc non sunt syllabæ accidentia, cum rarò syllabæ accidant, sed morbi potius syllabæ. His in hunc modum prægustatis, ad primum Antonij fundamentum interpretandum accedamus.

Syllaba longa duo consumit tempora, sed quę
Dicitur esse breuis, tempus sibi vẽdicat vnũ.

Ex multis fundamentis, quæ iaciũtur ab Antonio ante syllabarũ quãtitatẽ, hoc est primũ, in quo consideratur syllaba quatenus habet longitudinẽ uel breuitatẽ. Cùm uerò accentus in disputationẽ uocetur, cõsiderabitur syllaba quatenus habet altitudinẽ, uel profunditatem. Longitudo & breuitas attenduntur ratione temporis, & durationis, quam syllaba in prolatione consumit. Altitudo uerò & profunditas ratione accentus, quo syllaba eleuatur, aut deprimitur. Est igitur sensus, Syllaba lõga est illa, quæ duo tempora cõsumit in prolatione, hoc est, dũ pronũciatur, breuis uerò, quę unum tempus tantùm cõsumit. Syllaba lõga appellatur etiã producta, & porrecta etiã autore Quintiliano. Breuis, dicitur etiam curta, & correpta, quod placuit admonere, ne uaria syllabę lõgę et breuis appellatio discentiũ animis cõfusionẽ pareret.

Sed ut primũ hoc fundamentũ commodiꝰ mul-

tè intelligi poßit, exponere oportet, quid ſit cõſumere unũ tempus, quid ſit duo tempora. Id breuiter accipite. Conſumere unũ tempus, eſt cõſumere tã breue temporis ſpatiũ in pronũciatione ſyllabæ, ut eo minus cõſumi nõ poßit. Nã cùm omnis humana actio tempore fieri debeat, pronũtiatio etiã ſyllabæ ſuo quodã indiget tempore: itaq; breues ſyllabæ ſunt, quib⁹ ſingula tempora tribuũtur hoc eſt, à quibus breuiori mora facta, ad ſequentes efferendas tranſim⁹, ut uidere eſt in hoc infinitiuo circũdare. Conſumere duo tempora, eſt duplo mai⁹ ſpatiũ cõſumere, quàm in ſyllabę breuis ꝑlatione conſumebatur: itaq; longę ſyllabæ ſunt, quibus bina tempora tribuuntur, id eſt, in quibus duplo longiori mora facta, quàm in ſyllaba breui, ad reliquas ſyllabas efferendas gradum facimus, quod in infinitiuo amâre, uidere licet.

Alij uerò curioſam quandam nimiũq; ſubtilem ſyllabæ diſtributionẽ fecerũt. Qui ſyllabæ breui natura, temp⁹ unũ aßignarunt, ut uir. Cõmuni, tempus unũ & ſemis, ut pharetra, cuius dictionis media cõmunis eſt. Longæ, ſiue poſitione, ſiue natura longa fuerit, duo, ut do. Longę natura, quam conſonans ſimplex ſequitur, duo & ſemis ut dos. Longę natura, quam duę conſonantes ſequuntur, tria, ut mons. Verùm tam ſcrupuloſa partitione nobis op⁹ non eſt, ſed ſatis fuerit ſcire, quę ſyllaba breuis, quęq; longa ſit, & hanc altero tanto temporũ ſpatiò tardi⁹ quàm illã efferendam eſſe. Quod etiam ſi in oratione ſoluta facilè ita obſeruari, aut animaduer

inaduerti non potest, in uersu tamen et compositione pedū omnino quantitas hęc spectanda est. Neque enim metrum ullum perfectum ac plenum erit, in quo non suus ac debitus temporum numerus ac modus prę stabitur. Neque omnino mihi displicet descripta paulò ante antiquorum partitio ac syllabę temporibus, si solam syllabarum prolationem attendamus. Nam quantò plures consonantes sunt in syllaba, siue precedentes uocalem, siue sequentes, tantò magis in eiusdem prolatione immoramur. Solent enim consonantes prolationis impetum retardare. Plus enim temporis consumitur in pferendo nominatiuo stirps, quā in priore sylla ba genitiui stirpis. Caterùm si syllabam consideremus quantū ad longitudinē, uel breuitatem, quam in carmine & dimensione pedum habere debet, nō est admodū necessaria antiquorū distributio.

Argumentū cōtra pręcedēs fundamentū.

Sed uolet fortasse quis fundamentum euertere simili argumento, In nominatiuo musa uocalis. A. breuis est. & eadem tempora consumit, quæ in ablatiuo, ubi est longa, ergo syllaba breuis tantum temporis consumit in prolatione, quantum longa. Respondeo illud non prouenire ex culpa fundamenti, sed quia tota humanæ pronuntiationis ratio suas uires nostris temporibus amisit. Nec tam de care sumus soliciti, quàm antiqui, apud quos ex pronunciatione uocalium, syllabarū quātitas deprehendebatur. Erant enim certæ sonorū differentiæ, quibus breues à longis, & contrà, longæ

à breui

à breuibus discernebãtur: neque enim ueteres Latini, O, cùm breue esset, eodem modo, ut cùm longum idem uideri uellet, efferebant, aut eôdem uocis tractu, E. correptum, & E, productum legebant: Sed erat quoddam sonorum discrimen, quo temporum, atque morarum diuersitatem percipere auribus, atque diiudicare licebat Hodie autem non modò ueram illam & germanam pronunciãdi rationem, sed naturalem literarum usum amisimus, nobisq; persuasimus syllabam longã longiori tempore proferendam, quàm breuem. Possemus aliter argumento facere satis, eam scilicet distinctionem syllabę longę à breui in prolatione, in penultima facilè dignosci, ut in legere, & docêre, in ultima uerò non ita facilè.

Ancipites profert vocales sermo Latinus.
Nã modò correptas, modò lõgas promit easdẽ.

Hoc *est alterum fundamẽtum, cuius sensus est,* Omnes *uocales apud* Latinos *esse medias, siue indifferẽtes, siue ancipites, hoc est, produci & breuiari posse.*N*am.* A. *in amâre longum est, in circundare breue est.* E *uocalis in docere longa est, in legere breuis.* I*dem iudicium sit de reliquis uocalibus, quę alibi longę, alibi breues reperiuntur.* D*ixit apud* L*atinos, nam apud* G*ręcos, non omnes uocales ancipites sunt, nam duę sunt in ęternum longę* I*ta &* O*mega. η. ω. duę semper breues,* E*psilon &* O*micron. ε. ο. tres dubię siue ancipites,* A*lpha,* I*ota,* Y*psilon. α. ι. υ.*

V. Sequitur post. Q. semper, semperq; liqscit.

Hoc est tertium fundamentum, in quo agit iam Nebrißensis de liquescentia uocalium, & consonantium. Quod ut facili negotio intelligi poßit notare oportet quid sit literam liquescere, & quot sint liquescentiæ modi, ex quibus duobus pendet huius fundamenti cognitio. Liquescere in naturali significatione significat rem aliquam resolui, siue emolliri. sic usus est ea uoce Vergilius octauo libro AEneid. Vulnificusq́; Chalybs uasta fornace liquescit. Sic etiam Ouidius primo libro de pōto Elegia prima ad Brutum, De niue manantis more liquescit aquæ. Per translationem tamen affirmant Grāmatici literam liquescere, quando uim suam atque rigorem amittit, & quodammodo languescit, siue id in tempore, siue in prolatione contingat, in tempore, cùm aliquid temporis deperdit: in prolatione, cùm non pleno profertur sono. Sunt autem tres modi liquescentiæ. Prim⁹, cùm uocalis aliquid temporis deperdit, nihil tamen prolationis, quod accidere solet, quando uocalis, quæ in aliqua dictione longa est, in alia fit breuis. Hoc modo (iuxta sententiam Prisciani lib. 1. cap. de accidentibus literæ) liquescunt omnes uocales apud Latinos, nam modò longæ, modò breues reperiūtur, ut in præcedenti fundamento aperuimus. Secus uerò apud Græcos, apud quos non omnes uocales sunt ancipites, cùm aliæ semper longę, alię semper breues reperiantur. Hieronymus Vallius Complutensis in libello, quem edidit de prosodia, putat hunc primum liquescentię modum

omnino

omnino eſſe explodendum, & Nebrißenſem atq; Priſcianum in crimen uocat quòd præceperint uocales liqueſcere, quando modò longæ, modò breues reperiuntur. Cùm enim (inquit) uocales Latinæ non magis habeant à natura longitudinem, quàm breuitatem, cur magis in breuitate liqueſcere, quàm in longitudine obdureſcere dicantur? Ego tamen non poſſum non antiquam Grammaticorum præceptionem in tuto collocare, & Nebriſſenſis præſertim autoritatem hac in parte defendere, quem ego tanti ſemper feci, ut uel eo ſolùm nomine quòd barbariem è finibus Hiſpaniæ relegauerit, & politiores muſas inuexerit, colendũ, ſuſpiciendumq; omnibus eſſe duxerim. Probo igitur uocales liqueſcere, quando ex longis fiunt breues. Nã tametſi uocales omnes ſint ancipites, proniores à natura ſunt ad lõgitudinem, quàm ad breuitatem, dicentur igitur liqueſcere, quando à longitudine, ad quam quadam naturæ pronitate, & inclinatione ferebantur, ad breuitatem tranſierint. Nec neceſſe eſt, uocales, ut hoc primo modo liqueſcant, aliquid de peculiari ſua pronunciatione amittere (ut idem præcipit) imò propterea uocales dicuntur hoc primo modo liqueſcere, quòd nihil de prolatione, aliquid uerò de tempore deperdant.

Secundus modus liqueſcentiæ eſt, cùm litera ſiue illa ſit uocalis, ſiue conſonans omne tempus amittit, & aliquid rigoris in pronunciatione, non tamen penitus exteritur, ita ut magis litera

ibi eſſe

ibi esse quàm temporis aliquid in prolatione consumere uideatur. Hoc modo liquescit. V. post. Q. semper, post. G. &, S. non semper. Et quinq; cosonantes. L. R. S. M. N. Nam. V. post. Q. totum tẽpus, & aliquid prolationis amittit, ut apparet in aqua, liquor, quæro. Et quinq; illæ consonantes cũ suis mutis iunguntur totum etiam tempus, & aliquid prolationis perdunt, remittitur enim aliquãtum consonantium sonus, cùm mutis adhærent, ut paulò post satis abundè, & copiosè precipiemus. Ne fortè ignores, quæ literæ sint liquidæ, quæ mutæ: septem sunt liquidæ L. R. S. M. N. X. Z. nouẽ uerò mutæ. B. C. D. F. G. K. P. Q. T.

Antonius Polus Phocẽsis in annotationibus in quintum tradit has quinq; consonantes liquescere primo modo. Cum tempus amittãt, quãdo iunctæ mutis uocalem precedentem non producunt. verũ egregiè deceptus est, tũ quia primus ille liquescentię modus uocalium est, & nõ cõsonantiũ, tũ etiã, quia in primo illo modo uocales nihil amittunt prolationis, consonãtium uerò sonus, ut paulò ante dixi, tãtisper remittitur, tũ postremò quia in prima illa liquescẽtię ratione, uocales nõ omne tẽpꝰ amittunt, consonantes uerò medij temporis, quod sua natura tantùm sortiuntur, amißionem faciunt.

Tertius modus est, Cum in scãsione litera penitꝰ à pronunciatione expungitur, siue illa sit uocalis, siue consonãs. Hoc modo liquescunt oẽs uocales nã si dictio terminetur in uocali, & sequẽs initium habeat à uocali, prior uocalis exteritur omnino

in scan

in scansione. Ex consonantibus liquescunt tantùm duæ. M. & S. Verùm. M. apud nos. S. apud antiquos. Nam si dictio finiatur in. M. præcedente uocali, & sequens incipiatur à uocali, expungitur M. cum præeunte uocali. Simile erat iudicium apud priscos poëtas de. S. Dicuntur itaq; hoc tertio modo uocales & consonantes liquescere, quia prolationem, quam in carminum lectione habebant, in scansione amittunt prorsus. His in hunc modum explicatis, est sensus fundamenti, quòd cùm omnes uocales sint liquidæ primo liquescentiæ modo, quia quandoq; longæ, quandoque breues reperiuntur, V. tamen post. Q. semper est liquida secundo liquescentiæ modo, quia perdit totum tempus, & aliquid prolationis, In quo cauendum maximè est ne. v. post. Q. plena pronunciatione proferatur, ut Itali pronunciare consueuerunt, nec omnino exteratur, ut Hispani plerique expungere solent. Hi enim pari errore uersantur, cùm in illis locis languidiori quodam sono raptim proferenda sit. Caue etiam ne si in dictione aliqua. Q. scripseris, negligens sis in scribendo. V. nam hoc postulat ratio Orthographiæ, ut post. Q. sequatur. V. nisi dictio in compendium redigatur, tunc enim. Q. scribetur sine. V. ut quando quæstio scribitur. Q. duobus punctis clausa. Si insurgas fortè aduersus fundamentum, Lucretij carmine ex sexto de rerum natura libro armatus, Quæ calidum faciunt aquæ tactum atque uaporem. Vbi in aquæ post. Q. sequitur

tur. V. & est uocalis, Respondeo primùm mēdum latere in carmine, sic enim legitur, Quæ calidum faciunt laticis tactum atque uaporem. Et ne fortè quis arbitretur me id somniasse, cùm Lucretium consuluißem, proprijs oculis huius lectionis ueritatem sum contemplatus. Quòd si aquæ legeretur, responderem Lucretium fecisse Diæresim, & liquidam in uocalem mutasse licentia Poëtica usum, qua ipse in plerisque abutitur.

Quæstiones de. V.

Antequàm ab hoc fundamento discedamus, oportet agitare quæstiones quasdam de. V. Sit prima, Vtrùm quando post. Q. sequitur. V. sit uocalis liquida, an consonans liquida? Vt quæstioni satisfaciamus, notare oportet. V. multiplici fungi officio, aliquando uocalis est pura, cùm per se sine præsidio consonantis syllabam constituit, ut in utor, unus, utinam. Aliquandò consonans, cùm ferit uocalem sequentem, & non cōstituit syllabam, ut in uideo, uiuo, uoluo, Est etiam uocalis liquida, quando omnino tempus amittit, & pronunciationis partem, nec facit syllabam, ut in aqua, liquor. Est uocalis mixta, cùm syllabam constituit cum consortio consonantis, ut in cubo, cupio, cura. Respondeo modò ad questionem. V. post. Q. uocalem eße liquidam, & non consonantem liquidam, quod inde colligere licebit. quia nec ferit uocalem sequentem, nec sonum habet consonantis, sed uocalis, licet aliquantulum remittatur sonus ille.

Quintianus tamen Grammaticus Epographia prima cap. 45. affirmat, appellandam esse consonantem liquidam, & non uocalem. Ratio illius est, quia. Q & V. precedentem uocalem ex breui longam efficiunt aliquando, quod proprium est consonantium: quòd si uocalis precedens maneat breuis, una illarum consonantium, hoc est. V. liquescit, ac proinde consonans liquida appellabitur. Probat autem. Q. & V. uocalem breuem precedentem producere duobus carminibus Lucretij. Alterum est ex sexto. lib. à nobis superius allegatum, Quæ calidum faciunt aque tactum atque uaporem. ubi aßerit in aquæ uocalem. A. longam fieri. A. Q. & V. sequentibus & in tertia regione spondeum esse. Alterum est ex. 4 lib. Crassaq; conueniant liquidis, & liquida Craßis. In quo uersu syllaba, li. in liquida, in quinta regione, quæ breuis erat, efficitur longa. A. Q & V. sequentibus. Nos uerò communē Grāmaticorum sententiam teneamus, & ne Lucretij carmina à Quintiano allegata alicui negotiū facessant, illis satisfaciamus. Ad prius respondi paulò antè legendū esse, laticis, loco aquæ. Aut si legatur aquæ. V. uocalē eße factā per Diæresim à Lucretio. Ad posterius respōdeo in nomine liquidus quādo significat rē quæ fluit, & emollitur syllabā li. indifferentem esse, quod ex uerbo liquesco facilè patêre potest. in quo eadem syllaba indifferens est. Breuis est in eo uersu Vergilij ex octaua Ecloga, Limus ut hic durescit, & hæc

ut

ut cera liquescit. Longa est in eo uersu Ouidij. 1. lib. de Ponto, Elegia secunda ad Maximum, Sic mea perpetuis liquescunt pectora curis. Caeterium quando liquidus significat rem perspicuam & claram, habet primam syllabam perpetuò breuem. Vergilius libro secundo Georgi. Non liquidi gregibus fontes, non gramina desunt.

Secunda quaestio.

Sit secunda quaestio, vtrum. V. ex consonanti fiat à Poëtis uocalis, & ex uocali consonans? duo habet membra haec quaestio. Ad prius respondeo ex uulgata Grammaticorum sententia. V. ex consonanti fieri uocalem in uerbo uoluo. Ouidius in Epistola Medeae, Debuerant fusos euoluisse meos. euoluisse quinque syllabarum fecit. item in hoc nomine, sylua. V. efficitur uocalis ab Horatio in Epodo. Ode. 13. Niuesq; deducunt Iouem, nunc mare, nunc syluae, uersus est Archilochius constans è quatuor iambis, recepto tamen in locis imparibus etiam Spondeo, deinde è duobus Dactylis & caesura: itaque syluae in hoc carmine est trium syllabarum, cùm aliâs uox sit dissyllaba. Idem sit iudicium de soluo & larua.

Circa posterius membrum erit nobis digladiatio cum Quintiano, qui Epographia prima cap. 33. de V. tradit. V. uocalem fieri consonantem à Poëtis, idq; confirmat quam plurimis carminibus ex Silio italico, & Lucretio desumptis. Silius lib.

6. *Cætera sinuatis glomerat sub pectore gyris.* Idem lib. 10. *sinuatur, coxaq; sedet munimen utrâque, ubi in, sinuatis & sinuatur asserit V. consonantem esse, aliâs carmen claudicare.* Item Lucretius lib. 4. *Tenuis enim mens est, & mirè mobilis ipsa.* Idem lib. 2. *Lanigeræ pecudes, & equorum duëllica proles.* Vbi iuxta eiusdem sententiã in tenuis, & duëllica. V. ex uocali fit consonans. Ego uerò nunquam mihi potui persuadere. V. uocalem mutari posse in naturam consonantis, nec Poëtas id solitos fuisse facere. Nam quòd. V. consonans fiat uocalis, nihil mirum, cùm id per Diæresim fieri uideamus. Verùm non uideo qua ratione ex uocali fieri poßit consonans. Ad duo igitur carmina Silij Italici respõdeo pedem Anapæstum pro Dactylo fuisse positum, qui constat tribus syllabis primis duabus breuibus, & ultima lõga: quo pede usus est etiam Verg. 1. lib. Georg. *Fluuiorum Rex Eridanus, camposq; per omnes.* In priori carmine Lucretij positus est pes Proceleumaticus in principio pro Dactylo, qui cõstat quatuor syllabis breuibus. In posteriore in duëllica facta est Synæresis: non nego tamen apud Lucretium fieri consonantem sæpißimè, nam propter difficultatem argumenti, quod suscepit tractandũ, omnes leges metricas coactus est uiolare, ut apparet in eo carmine secundi libri. *Propterea quia corpus aquæ, naturaq; tenuis.* Itẽ in eo quarti libri. *Quippe etenim uentus subtili corpore tenuis.* Satis sit tamen apud celebres Poëtas, qui ex carminibus

gloriã

gloriam sibi & nominis æternitatem compararūt nunquam. V. ex uocali in naturam consonātis migrasse.

At post S. & G. vim seruat, vimque remittit.

Pars est præcedentis fundamenti, sensus est, Quòd tametsi. V. quando sequitur post. Q. semper sit liquida, tamen si sequatur post S. aut. G. aliquando est liquida, aliquando uocalis. Sed uideamus necesse est, quādo liquescat, & quando nō. Nam Nebrissensis id intactum reliquit. Agamus igitur prius de. V. quando sequitur post. S. Sit regula, Si post. S. sequatur. V. & post. V. consonās, nūquam. V. liquescit, sed semper fungitur officio uocalis, ut in super, Sublimis. Si uerò post. V. sequatur uocalis. A. uel. E. in prima positione, est liquida. de. A. ut in suadeo, Vergil. 2. AEneid. Præcipitat, suadentq; cadentia sidera somnos. Idē. 3. AEneid. Mutandæ sedes, non hæc tibi littora suasit. De. E. ut assuesco Vergil. 1. Georgi. Ingredere, & uotis iam nunc assuesce uocari. Idem. 6. AEneid. Insuetum per iter gelidas enauit ad arctos. Aliquando efficitur uocalis à poëtis, Papinius. 1. Thebaid. Imò agite, & positis quas nox inopina suasit. Item Horatius. 1. Sermonum Saty. 8. Cùm mihi non tantum furesq; ferę́q; suetę. Si uerò post V. sequantur in prima positione reliquæ uocales. V semper erit uocalis. Vt in suille, suo, suus, in quibus omnibus nemini dubium est V. uocalem esse. Per primam positionem in nomi

nibus, pronominibus, participijs, intelligite primam recti singularis terminationem in uerbis autem primam personam præsentis indicatiui.

Posterius membrum est, quando post. G, sequitur. V. Sit regula, Si post. G. sequitur. V. & post. V. sequatur consonans. v. semper erit uocalis, ut in, Gula. Si uerò post. V. sequãtur omnes uocales dempta. V. erit liquida. De. A. ut Lingua, Horatius. 2, lib. Episto. 2. Episto. Fundet opes. Latiumq; beabit diuite lingua. De. E. ut. Langueo. Verg. 4. Georgi. Vita tulit, tristi lãguebunt corpora morbo. De I. ut Sanguis Vergil. 5. AEneid. Sanguis hebet, frigentq; effœtæ in corpore uires. De O. Languor, Ouidius. 3. Tristium. Elegia. 8. Hei mihi, perpetuus corpora languor habet. Excipitur hoc uerbum arguo, in quo. V. uocalis est. Horàtius in arte Poëtica. Arguet ambiguê dictum, mutanda notabit. Dixi dempta. V. nam si post. V. sequatur alterum. v. semper est uocalis, ut in his dictionibus, ambiguus, contiguus irriguus, exiguus, & in nominibus inde abstractis, ambiguitas, exiguitas. Quod autoritatibus firmare superuacuum fuerit.

Quæstio circa præcedens fundamentũ.

Dictum est. V. post tres consonantes. Q. S G. liquescere, post. Q semper, post. S. &. G. non semper. Est ergo quæstio, si sequatur alias consonantes, Vtrùm sit uocalis, an liquida? Respondeo uocalẽ esse semper, ut in bubulcus, cumulus, dur⁹, & sic

& sic de reliquis, sed est argumentum, In his dati uis Cui & Huic, post C. & . H sequitur. V. & est liquida: quod probo. nam hi datiui sunt unius syllabæ & ea syllaba efficitur ab. I & non ab. V. ergo. V. liquescit, nam si efficeretur ab. V. iam esset duarum syllabarum. Quòd autem sint unius syllabæ, probant duo carmina Verg. ex primo libro. Æneid. Cui mater media sese tulit obuia sylua. Item Huic coniux Sichæus erat, ditissimus agri. Ad argumentum dupliciter respondeo, aut fieri in his datiuis perpetuam quandam Synæresim, qua. V. & I. uocales conglutinantur in unam longam, atque ita fiet ea syllaba à duabus illis uocalibus per Synæresim contractis, & . V. uocalis erit, & non liquida. Aut meo iudicio melius satisfiet argumento, si dicamus in his datiuis. I. consonantem esse, & non uocalem, cum formentur à genitiuis cuius, & huius, rapta us & cùm in his genitiuis. I. sit consonãs, manebit etiã consonãs in datiuis, fiet igitur ea syllaba ab. V. & non ab. I. erit ergo uocalis, & non liquida.

L aut. R. aut. S. vsu plerunque liquescunt.
M. aut. N. rarò. Seruant quandoque rigorē.

Egit autor de litera. V. quæ liquescit secundo modo liquescentiæ, agit modò de consonantibus, quas diximus etiam liquescere eodem modo liquescentiæ. Sensus est. Ex numero consonantiũ quinque liquescunt. L. R. S. M. N. *Sed.* L. R. S. *Frequenter, nam paßim apud autores exempla reperies,* M. *tamen &.* N. *rarò. Examine-*

nus singulas suo ordine, nam idem iudicium erit de omnibus, quod de singulis. L. liquescit, quando coniuncta mutæ non ualet producere uocalem breuem præcedentem, quam uim duæ aliæ consonantes habent in carmine. Tunc enim dicitur amittere medium tempus, quod quælibet consonans largiri solet uocali breui præcedenti: cæterùm si adhærens mutæ uocalem breuem præcedentem producat, non dicetur liquescere. Liquescit in eo uersu Ouidij. lib. 4. Metamorpho. Tempus Atla ueniet, tua quo spoliabitur auro. Non liquescit in eo uersu eiusdem, & eodem lib. Id metuens solidis pomaria clauserat Atlas, ubi in eodem nomine, Atlas liquescit. L. & non liquescit. Idem solet contingere in dictionibus compositis, ut in hoc uerbo recludo, liquescit. L. in eo uersu Horatij. 1. li. Episto. Quid non ebrietas designat? operta recludit. Non liquescit in eo carmine Vergilij. 2. Georgi. Ingredior, sanctos ausus recludere fontes.

R. liquescit, quando iuncta mutæ non ualet producere uocalem breuem præcedentem, uerùm si producat, non liquescit, ut in hoc nomine uolucris apud Ouidium. 13. Metamorpho. Et primò similis uolucri, mox uera uolucris, priori loco liquescit. R. posteriori non liquescit. Item in Pharetra liquescit in eo carmine Vergi. 1. lib. Æneid. Succinctam pharetra, & maculosæ tegmine lyncis. Non liquescit in eo carmine eiusdem, & eodē lib. Virginibus Tyrijs mos est gestare pharetrā.

Idem in dictionibus compositis accidere uidemus, ut in uerbo refræno, liquescit apud Ouidium in Epistola Hypsipyles, Illa refrænat aquas, obliquaq; flumina sistit. Non liquescit apud Horatiũ. 3. Carminum Ode. 24. Refrænare licentiam, carmen est Glyconicum, constans Spondeo & duobus Dactylis.

S. apud Poëtas recentiores nũquam liquescit, quanuis Antonius Nebrissensis in commentarijs secutus Priscianum, & Martianum Capellã, & Diomedem, affirmet liquescere. S. quãdo in principio dictionis posita cum una uel duabus consonantibus non ualet producere uocalem breuem præcedentem, ut in eo Horatij carmine primo Sermonum Saty. 3. Ignoscent si quid peccauero stultus, amici. Idem eadem Saty. Si quod sit uitium, non fastidire, strabonem. Idem. 1. sermonũ Saty. 5. Linquimus, insani ridentes præmia scribæ, in quibus carminibus post peccauero, & fastidire, & præmia, sequitur S. cum una & duabus consonantibus, & non habet uires producendi uocales breues, quæ præcedunt, atque ita asserit. S. liquescere. Sed (quod cum tãti uiri uenia dixerim) deceptus est cum his, quos est secutus, nam duæ cõsonantes in principio dictionis collocatę non ualent producere uocalem breuem præcedentis dictionis, ut in regula duarum consonantium satis apertè ostendemus, & sic in carminibus ab Antonio allegatis. S. non liquescit, siue sequatur muta siue muta cum liquida. Apud ueteres autẽ liques

cebat

scebat. S. frequentißime, & erant duo modi liquescentiæ huius literæ. S. Prior, quando dictio finiebatur in. S. præcedenti uocali breui, & sequebatur dictio incipiens à consonante, tunc erat in arbitrio Poëtæ relinquere uocalem breuem expuncta. S. aut producere, quia post eam sequebantur duæ consonantes. Ennius, Egregiè cordatus homo Catus AEliu' Sextus. Idem alio loco, Quæ parire solet gēnis genus condecoratum, in AElius, & genus. S. litera expungitur & præcedens uocalis manet breuis. Lucretius, qui fuit nimius antiquitatis affectator hac eâdem licentia frequenter utitur lib. 1. vsque adeò largos haustus ac fontibus magnis. Idem lib. 5. Arboribus ueteres decidere falcibus ramos, in fontibus & falcibus exteritur. S. Posterior modus erat, quando dictio finiebatur in. S. præcedenti uocali siue longa, siue breui, & sequens incipiebatur à uocali. S cum uocali præcedenti expungebatur, quemadmodum. M. nunc apud nos. Lucretius lib. 4. Iam ne uides igitur, quam puncto temporis imago. Idem in 6 Et liquidum puncto facit æs in temporis & aurum, in utroque carmine in genitiuo temporis eliditur. ſ. cum. I.

Sunt tamen multi Grammatici, qui contendant Vergilium hunc posteriorem liquescentiæ modum in multis carminibus fuiße imitatum. 12. AEneid. inter se coijsse uiros, & decernere ferro. item. 9. AEneid. Et præceps animi Tyarus, & mauortius Hæmon. item. 4. AEneid.

Hic Hammone satus, & rapta Garamantide Nympha. Item Georgi. 3. Aut ouium fœtus, aut urentes culta capellas. Verùm ego non possum in eam sententiam induci, ut credam Vergilium tantæ nouitatis autorem fuisse. Purgemus igitur Poëtarum principem ab hac antiquitatis imitatione, in primo carmine legendum est cernere pro decernere, simplex pro composito, quemadmodũ in multis alijs fieri uidemus. in secundo Tmarus, pro Tyarus legi debet. in tertio debet exteri coniunctio copulatiua, in quarto transmutari debent dictiones, aut fœtus ouium. Hoc igitur pacto neque in uiros, neque in Tyarus, neque in satus, neque in fœtus exteritur. S. cum uocali præcedenti, quod isti perperam opinabantur. Adducunt etiam carmen Iuuenalis Saty. 14. Dispositis prædiues hamis uigilare cohortem, ubi in prædiues expungitur. S. cum. E. Respondeo iuxta Britannici sententiam, legendum esse diues & non prædiues. Nec placet quorundam sentẽtia, inter quos est Iacôbus Micyllus de re metrica. li. 3. & Antonius Nebrissensis in primis syllabis, qui aßerunt in dictione hamus priorem syllabam esse indifferentem, nusquam enim eam syllabam breuem inueni, cùm millies repererim longam, ut in illo Horatij carmine. 1. li. Epistol. Epistola 7. ad Mecœnatem. Occultum uisus decurrere piscis ad hamum. item in illo eiusdem eodem. 1. li. Epistolarum Epistola 16. ad Quintium, Suspectos laqueos, & opertũ miluius hamum. Polus credit

dit Vergilium elisisse. S. cum uocali in eo carmine Bucolicorum Ecloga. 6. Ille latus niueum molli suffultus Hyacintho. Verùm somniauit eam lectionem, & in hoc, quemadmodum & in multis alijs carminibus, quæ mendosissimè allegat, turpiter prolapsus est. Legitur enim in eo uersu, fultus, & non suffultus. In medio dictionis nunquam. S. liquescit, nisi fortè apud Comicos Poëtas, a quibus leges metricæ non ita regidè seruantur. Pentametrum illud Varronis lib. 3. de lingua Latina. Sabulo finitimas propter astabat aquas non est imitatione dignum. Quòd si fortè apud iuniores Poëtas reperiatur. S. uno aut altero modo liquescere, mirandum non est, cùm ad ueterum imitationẽ soleant se ipsos aliquando componere, ut in illo carmine Catulli. Affixus nostris tu dabis supplicium, ubi in dabis. S. necessariò expungitur, aliôqui carmen constare non posset.

M. raró liquescit, & in dictionibus Gręcis, nõ autẽ in Latinis, ut in hac dictione Tecmessa. Horatius. 2. lib. Carminum Ode. 4. Forma captiuę dominum Tecmessę, carmen est Sapphicum, quartus pes est Trochæus, & Te. syllaba breuis est, atque ita. M. liquescit, quia adherens mutę antecedentem uocalem producere non ualuit. Asserunt quidam liquescere etiam in hoc nomine Arithmos uerùm autoritas non occurrit. Affirmat Nebrissensis liquescere. M. in his dictionibus, Polymneia, & Mnemosynon, in carmine Ouidij. 5. Fastorum, Dissensêre Deę, quarum Polymneia cœpit

pit. Et in eo Sidonij Versu, Dulcia Mnemosyne demirans carmina Sapphus. Sed in his non. M. sed N. liquescit. Nam quando hę duę consonantes iunguntur, M. gerit Vices mutę. N. liquidæ.

N. liquescit etiam in dictionibus Gręcis, in Latinis uerò minimè, ut in cygnus, Progne, Polymneia, Mnemosynon, Ichneumon, Prochnesos, Terapneus. Firmemus id autoritatibus. Ausonius, Quid reffert Cornix non ideo ante cygnum. Ouidius li. 6. Metamorpho. Ad mandata Prognes, & agit sua uota sub illa, aliqui codices habēt mādata ad Prognes, & sic non liquesceret. N. Vergilius in Ciri. Nam uerum fateamur, amat Polymneia uerum, legitur etiam Polybymnia, sic. N. nō liquesceret. Martialis lib. 7. Delectat Marium si perniciosus. Ichneumon Valerius Flaccus lib. 3. Argonauticon, Aura uehit, religant tonsas, ueloq; Prochneson. Silius Italicus octauo lib. Ecce inter primos Terapnæo à sanguine clausi.

Sunt tamem multi Grammatici cerebrosi nimis, qui mordicus tuentur. N. in dictionibus Latinis liquescere, quibusdā carminibus muniti, quæ nos facili negotio diluemus. Intelligent omnes inde eos qui uersibus ab alijs allegatis magna facilitate fidem habent, & ad suos autores non confugiunt, facilè etiam solêre decipi. Producunt in medium carmen Ouidij. 8. lib. Metamorpho. Debuit illius misereri, & ignoscere nobis. Vbi in uerbo ignosco liquescit. N. Item carmen Lucretij

lib. 5.

lib.5. Nil tamen eße signi, mixtas potuisse creari ubi in signi liquescit N. item illud Vergilij Georgi.3. Currentem ilignis potare canalibus undam ubi in ilignis, liquescit etiam. N. Ad primum Ouidij Carmen respondeo ex sententia Micylli in annotatione quadam in eum uersum, debere legi sublata coniunctione, &, in hunc modum, Debuit illius miserêri, ignoscere nobis. Et sic uersus non modò quod ad numeros attinet, integrior, sed & elegantior multò erit, & affectui magis seruiet, propter distributionem, quæ coniunctione opus non habet, eaq; interposita gratiam ferè amittit. Ad Carmen Lucretij dico legendum esse, Nil tamen est signi, mixtas potuisse creari. Quo pacto. N. non liquescit. In carmine Vergilij non iligneis sed ilignis legendum est. Quòd si legatur iligneis adhuc affirmo. N. non liquescere, sed duas illas uocales. E. & I. per sinæresim contrahi in unam longam. Est igitur nostra sententia. N. in dictionibus tantùm Græcis liquescere.

Quæstio circa fundamentum.

Quæritur, Vtrum præter has quinque consonantes, de quibus copiosè disputauimus, liquescat alia cōsonans? Quæ quæstio agitari solet à Grammaticis propter carmen Martialis lib. 5. Sardonicas smaragdos, Adamantas, iaspidas uno, ubi in smaragdos uidetur. D. liquescere. Domitius Calderinus in explicatione huius carminis, asserit S. cum præcedenti uocali more ueterum in smaragdos

dos expungi, quod si concedamus, concedere etiã debemus in smaragdos. Ma. syllabam indifferentem esse. Breuis est apud Ouid. 2. Metamor in solio Phœbus claris lucente smaragdis idem, 2, Amorum, Elegia, 6, Tu poteras uirides pennis hebetare smaragdos, Longa est, idq; rarò apud Prudentium in Psychomachia, Has inter species smaragdina gramine uerno, Alij ne fateantur, s, liquescere, atque exteri antiquorum more, legũt, smaragdum, ut, M, cum uocali per Ecthlipsim abijciatur. Ego tamen ne tot laqueis discentium animos implicarem, ingenuè concederem, D, liquescere in dictione smaragdos, nec me in graue crimen incidisse arbitrarer.

Dictio vocali si desinat, atque sequatur
Altera vocalis, perimit synalœpha priorem.

Hoc est quartum fundamẽtum, in quo tangit autor tertium modum liquescẽtiæ, Cùm litera à carmine omnino expungitur, & totam prolationem in scansione amittit. Sensus est, si dictio desinat in uocali, cuiuscunque formç sit, & sequens à uocali incipiatur, prior à posteriore excipitur, & scandendo ueluti absorbetur per synalœpham, ut in eo uersu Vergilij. 1. lib, AEneid, ille ego, qui quondam gracili modulatus auena, Vbi, E, in, ille. scandendo non effertur, sed à sequenti uocali quasi intercipitur, Hoc autem fit ut hiatus, & nimia oris apertio euitetur.

Vt planum faciamus hoc fundamentum, explicare oportet, quid sit synalœpha, & quot modis fieri

fieri soleat. Synalœpha est per interemptionem concurrentium inter se uocalium lubrica quædam lenisq; collisio. Examinemus singulas huius finitionis partes. Per interemptionem concurrentium inter se uocalium, quia in Synalœpha uocales cum uocalibus concurrunt, & uocalis prior à posteriore interimitur. Lubrica & lenis collisio, quia uocales habēt lenem, & lubricum quendam sonum, quod à natura consonantium satis alienum est. Synalœpha Latinè sonat coniūctionem, siue coïtionē eò quòd uocalis cum uocali coire & concurrere uideatur.

Fit autem Synalœpha tribus modis. Primo in diuersis dictionibus, Quando prior dictio terminatur in uocali, & posterior incipit à uocali, prior uocalis per Synalœpham exteritur, ut paulò antè à nobis demonstratum est. Secundo fit in diuersis carminibus, Quando prius carmen est Hypermetrum, hoc est, abundās una syllaba, & finitur in uocali, & posterius habet initium à uocali. Vergilius 2. Georgi Inseritur uerò ex fœtu nucis arbutus horrida, Et steriles platani malos gessère ualentes, in horrida expungitur .A. idem. 1. lib. AEneid. iactemur, doceas, ignari hominumq; locorumq;. Erramus, uento huc, & uastis fluctibus acti, ubi in, q;, expungitur. E. huius tamen generis carmina rara sunt apud Vergilium atque ita rarò ad imitationem proponenda, nisi argumēti difficultate coacti ad id faciendum impellamur, qua in parte lectorē admoneo, ne statim pro lege

acci

accipiat quicquid usurpatum uiderit à Poëtis, sed ad frequentiorem Poëtarum usum conijciat oculos. Et id tantúm sibi licère putet, cuius quam plurima reperiat exẽpla, quibus se ipsum tueatur. Ac iuxta quorundam sententiam non tantùm fit Synalœpha, quando prior uersus est Hypermeter, sed etiam quando posterior. Horatius. 1. lib. Carminum. Ode. 2. Labitur ripa Ioue non probante, uxorius amnis. Prior uersus est Sapphicus constans Trochęo Spondeo, Dactylo, duobus Trochęis, posterior Adonicus, qui constat Dactylo & Spondeo. Vbi uidere licet in uersu Adonico abundare syllabam. V. & fieri Synalœpham per elisionem uocalis. E. præcedentis. Ego tamen nũquam mihi potui persuadère ibi factam fuisse Synalœpham in diuersis carminibus, sed in eodem. Nam. V. dictionis illius uxorius. manet in uersu præcedenti, quod ad Poëtarum Lyricorum imitationem factum est. Nam Pindarus, & reliqui Poëtæ Græci, qui Lyrica carmina conscripserunt, tãtam habent aurium rationem, ut soleant similem in modum partes secare, ne uersus cadat sine numero, & tota pereat cantionis harmonia, ac metricus ille concentus perturbetur. Hanc meam sententiam tuetur editio Aldina, in qua sic leguntur carmina, Labitur ripa Ioue non probante, uxorius amnis. Fit tertiò Synalœpha in una dictione composita, cuius prior pars compositionis finiatur in uocali, & posterior incipiat à uocali. Vt in semianimis, Vergilius. 4. AEneid. Semiani

niemq; sinu germanam amplexa fouebat. Item in semihomo, Vergilius .8. AEneid. Semihominis Caci facies, quam dira tegebat. Item in, de hinc, & deinde, Vergil. 1. AEneid. Eurum ad se Zephyrumq; uocat, dehinc talia fatur. Idem in Bucolicis Ecloga 3. Incipe Damœta, tu deinde sequêre Menalca. Hanc alij Episynalœpham appellant. Sed siue hoc, siue illo appelletur modo, non est, quòd uaria appellatio uestros animos nimium torquere debeat.

Dubitationes de Synalœpha.

Sunt dubitationes quàm plurimæ circa fundamentum. Sit Prima, An prior uocalis exteratur semper per Synalœpham, quando dictio finitur in uocali, & quæ sequitur incipit à uocali. Distinguo, Aut uocalis quæ præcedit, est breuis, aut longa. si breuis, expungitur semper per Synalœphā, ut Ille ego qui quondam, &c. Sed pugnat contra nos uersiculus Ouidianus tertio Fastorum. Thure uacent aræ, stent sine igne foci, sine, finitur in uocali breui, & non expungitur. deest in hoc carmine (ut aßerit Nebrissensis in commentarijs) cōiunctio, q;, debetq; hoc Pentametrum in hunc modum legi, Thure uacent aræ, stentq; sine igne foci, & sic exteritur uocalis. Pugnat adhuc contra nos uersiculus ille vergilianus primo libro AEneid. Et uera inceßu patuit Dea. Ille ubi matrem. ubi in Dea, uocalis. A. est breuis, & nō eliditur. Respondeo cum Iacôbo Micyllo Poëtas Latinos, uocales diuersarum dictionum, seruata cuiusque

natu-

natura, absque elisione sæpenumero continuasse. maiorem interim habentes aurium ratione͂, quàm præceptionum & legum Grammaticarum. *Id autem vergilium fecisse crediderim, quia duæ illæ uocales inter se non concurrunt. cùm altera in priori periodo, altera in posteriori posita sit, & ob eam distinctionem non sentiatur hiatus, adque͂ cuitandum inuenta fuit* Synalœpha. *Si uerò uocalis præcedens sit longa, inuenimus* Poëtas *solitos fuisse tria facere.* Aut *enim expungunt,* Verg. *lib.* 4. AEneid. *Vixi, & quem dederat cursum fortuna, peregi.* Aut *longam relinquunt,* Vergilius *primo* Georgi. Glauco, *&* Panopeæ, *&* Inoo Melicertæ, *ubi in,* Glauco, *uocalis.* O. *longa manet.* Idem *eodem libro.* Ter *sunt conati imponere* Pelio Ossam. Vbi *in, conati, manet* I. *longum.* Aut *ex lo͂ga breuem efficiunt, quia sequitur uocalis.* Vergilius *in* Bucolicis. 3. Eclo Et *longum formose uale, uale (inquit)* Iola. Vbi. E. *longa in, uale, corripitur ratione sequentis uocalis.* Idem Ecloga. 8. Credimus? *an qui amant ipsi sibi somnia fingunt? vbi qui, quod natura uocalem longam habet, propter sequentem breue ponitur.* Hæc *tamen omnia de uocali longa, aut ex longa facta breui, notanda potius, quam imitanda censeo, in licentia enim inuentis magis, quàm inueniendis uti oportet.*

Secunda dubitatio.

Vocatur *secundò in dubium, An in dictionibus*

compositis, quarum prior pars finitur in uocali, & posterior inchoatur à uocali, expellatur semper uocalis prior per Synalœpham, an congluti netur cum sequenti aliquando per Synæresim? Distinguo, Aut uocalis, quæ sequitur, est breuis, aut longa. Si breuis, & postquam est elisa prior uocalis, manet breuis, illud fit per Synalœpham. Ratio est, quia per Synalœpham uocalis nihil de sua natura deperdit, sed si erat breuis, manet breuis, si longa, manet etiam longa, ut in, semianimis, semihomo, in uersibus paulò ante citatis. Verùm si ex breui fiat longa, tunc uocalis præcedens cum sequenti coalescit per Synæresim Ratio est, quia per Synæresim uocalis suam amittit naturam, & ex breui fit longa, cùm Synæresis sit conglutinatio duarum uocalium in unam longam, ut in deeram, Ouidius. 1. Metamorph. Deerat adhuc, *& quod dominari in cætera poßet.* Vergilius. 7. *lib.* AEneid *Diuitis uber agri, Troiæue opulentia deerit, ubi in præterito imperfecto, & futuro imperfecto uerbi substantiui Synæresis fit. At uerò si uocalis sequens sit longa, fieri poterit Synalœpha, sed tunc quoque Synęresis.* Horatius. *1. lib. Epist. Epistola. 12. ad Iccium. vilis amicorũ est annona bonis, ubi quid deest, ubi, in deest, aut Synęresis, aut Synalœpha fieri potest.*

Tertia dubitatio.

Quæritur tertiò, An fiat synalœpha, si dictio sequens incipiat ab aspirata? Respondeo fieri, quòd ea aspirationis tantùm nota sit, nec magis pro-

pro litera cēsenda, quàm numerorum figuræ, quæ ipsæ quoque in uersu inter alias literas scribūtur, potestatem autem literarum non habent: itaque aspiratio non est impedimento synalœphæ. Vergilius. 1. li. Georgi. Atque hæc ut certis possimus dijcere signis. Sed exhibet nobis negotium carmen illud Vergilianum. 1. li. AEneid. Posthabita coluisse samo. Hic illius arma, Vbi, samo, finitur in uocali & Hic, incipit ab aspirata, & non fit synalœpha. Respondeo non fieri quia uocalis. O. in, samo, est longa, & Poëta longā reliquit, quod fieri posse prima dubitatione apertè commonstrauimus.

Quarta dubitatio.

Dubitatur deinde, An per synalœpham exterantur duæ uocales dictionis præcedentis? Respondeo, ultimā tantùm expungi, Verg. 4. li. AEneid. Imperio, & primum pedibus talaria nectit. Imperio, finitur in duabus uocalibus, & tantum abijcitur ultima. Sed est contra nos Verg. carmen lib. 9. AEneid. Dum domus AEneæ Capitolij immobile saxum, ubi in Capitolij, ambo, ij, expunguntur. Respondeo, alteram uocalem expunctā fuisse per Apocopen, alteram uerò per synalœpham, uirtute enim synalœphæ ambæ uocales expungi non possunt. Qua in parte non caret reprehensione Polus, qui in tractatu de synalœpha, asserit in genitiuis secundæ declinationis habentibus duplex, ij, aliquando ambo, ij, aliquando unum tantùm per synalœpham abijci, pro ut ratio metri patiatur,

Nam ut à nobis præceptum est nunquam duplex, ij, uiribus Synalœphæ eliditur.

Quinta dubitatio.

Solet etiam dubitari, Vtrùm semper expungatur Diphthongus, si dictio præcedens in Diphthõgo finiatur, & sequens à uocali principium habeat? Respondeo, aliquando per Synalœpham depelli, Verg. 2. AEneid. Dardanidæ infensi pœnas cum sanguine poscunt. Aliquando longam manêre, Verg. 1. li. Georg. Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur. Aliquando corripi. Verg. 3. lib. AEneid. Insulæ ionio in magno, quas dira Celæno. Cæterùm hæc rara sunt, & ad imitationem non proponenda.

Sexta dubitatio

Est etiam dubium, An fiat Synalœpha, si præcesserint dictiones monosyllabæ, ut, Heu, O, Hei? Respondeo, non fieri. Ratio est quia cùm interiectiones sint, cõuenit affectuum notas & uoces manifestò exprimi atque accipi, & propterea nulla earum collisio fit. Sistitur enim quodammodo oratio ad exclamationem & affectum, & quasi quiddã nouum expectatur. Verũ inter has interiectiones, Heu, & Hei, semper producuntur, Ouid. in Epist. Hypsipyles, Heu ubi pacta fides? Vbi cõnubialia iura? O. uerò indifferens reperitur. Longa est apud Ouid. 8. Metam. Outinã primis arsisses ignibus infans. Breuis est apud Verg. in Bucol. 2. Eclog. Te Corydon ô Alexi, trahit sua quenq; uoluptas. idẽ sit iudiciũ in his interiectionibus, Proh,

Vah,

Vah, Ah, & ſimilibus, in quibus uocalis non perimitur, licet dictio ſequens incipiat à uocali. Vocalis enim quæ per Synalœphā expungi deberet, intercepta iam eſt, cùm olim integræ fuerint dictiones, Probo, vaha, Aha. Horat. in Epo. Ode. 5. Ah, ah, Solutus ambulat uenefic.e, uerſus eſt iambicus Hipponactius conſtans è ſex iambis, recepto tamen in locis imparibus etiam ſpondeo. Primus pes Spondeus eſt, & in his interiectionibus nulla fit Synalœpha. Illud poſtremò notare non pigebit, fieri etiam Synalœpham in ſoluta oratione. Vt in his aduerbiis magnopere, ſummopere, in quibus unum. O. eliditur, & uocalem ſequentem, non præcedentem ab antiquis ſolitam fuiſſe intercipi, ut comœdiaſt, tragœdiaſt, nactaſt, pro comœdia eſt, tragœdia eſt, nacta eſt. Hæc de Synalœpha dixiſſe ſatis fuerit, cuius diſputatio ſi alicui prolixior quàm oportuiſſet, uiſa fuerit, intelligat ille nos id conſultò feciſſe, ne ſi breuitati ſtuderemus, multa prætermitterentur, ſine quibus perfecta Synalœphæ cognitio haberi non poſſet.

Si finitur in. M. vocalis & inde ſequatur.
M. perit. Ecthlipſi cum vocali præeunte.

Hæc eſt pars quarti fundamenti, in qua agitur de Ecthlipſi, ut enim Synalœpha uocales, ita Ecthlipſis conſonantes elidit, Senſus eſt igitur, Si dictio finiatur in. M. præcedente uocali, & dictio ſequens à uocali incipiat, tunc M. cū uocali precedēti detrahitur à carmine per Ecthlipſim. Verg.

1. lib. AEneid. *Venturum excidio Libyæ, sic uolue re Parcas.* M finale in, uenturum. cùm uocali. V. sibi adiuncta eliditur. Hoc autem fit, ne incidamus in Metacismum Barbarismi speciem. Est autem Metacismus uitium circa literam. M.

Cæterùm ut hæc pars fundamenti nobis poßit magis eße nota, operæ pretium erit discutere, quid nam sit Ecthlipsis, & quot modis in carmine efficiatur. Ecthlipsis est consonantium cum uocalibus asperè concurrentium difficilis, ac dura collisio. Particulæ omnes, quibus tota hæc definitio constat, ponuntur ad differentiam synalœphæ. Nam in synalœpha uocales cum uocalibus concurrũt, & est lenis quædam & blanda collisio, at uerò in Ecthlipsi, est concursus consonantium cum uocalibus, & est aspera atque dura collisio. Vnde non immeritò dicta est Ecthlipsis à uerbo Græco, Ecthlibo, quod elidere significat, quæ à Quintiliano detractio appellatur, quòd. M. cum uocali precedenti detrahat. Fit Ecthlipsis duobus modis. 1. in diuersis dictionibus, Quando dictio aliqua in. M. exit, & sequens à uocali incipit, ut in uenturum excidio, & c. Fit secundò in diuersis carminibus. Quando prius carmen est Hypermetrum, hoc est, abundans una syllaba, & finitur in. M. uocali præcedenti, & posterius incipit à uocali, Vergilius. 1. Georgico. Aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem, Et folijs undam tepidi despumat aheni, Vbi syllaba, rem, quæ in fine prioris uersus abundat, cum initio sequentis connecten

nectenda eſt. expunctis tamen. M. & E. Idem Vergilius ſeptimo AEneid. *Iamq; iter emenſi tur res, ac tecta Latinorum, Ardua cernebat iuuenes, muroſq; ſubibant* Vbi ex dictione Latinorum aufertur M. cum V. uocali ſibi adiuncta. Quidam tenent fieri etiam Ecthlipſim in dictione compoſita, in qua prior pars compoſitionis finitur in, M. & poſterior incipit à uocali. Adducũt ad ſuæ ſententiæ robur carmẽ Lucretij ex quarto lib. *Circum agitur cum uenit imago, propterea quod.* Verùm ego in ea non ſum ſententia, nam illud eſt more & uſu Poëtarum receptum, ut in his dictionibus cõpoſitis Ecthlipſim fieri non patiantur, quin potius M. corripere ſolent. Iuuenalis. 5. Saty. *Frigida circumagunt pigri ſarraca Bootæ.* Idem. 7. Saty. *Circumagat madidas à tempeſtate cohortes.* Itẽ in uerbo, circumeo, Propertius lib. 2. Elegiarũ, *Cuius nõ hederę circumiêre caput.* Item Ouidius. 3. de Arte amandi, *Metaq; feruenti circumeunda rota.* Ex quibus autoritatibus colligere licet, in dictione compoſita non fieri Ecthlipſim. Nec eſt quòd carmẽ Lucretij nos multùm perturbet, qui propter difficile argumentum de Philoſophia naturæ, quod tractat, cogitur contra regulas metricas multa facere.

Dubitationes de Ecthlipſi.

Sit prima dubitatio, Vtrùm ſemper fiat Ecthlipſis, quãdo dictio deſinit in. M. & ſequitur uocalis? Reſpondeo, apud recẽtiores Poëtas ſemper ac neceſſariò fieri, ac proinde ſi quando diuerſa ab

hoc, quod præcipimus, exempla inueniantur, aut licētiæ Poëticæ aut imitationi uetustatis ascribēda sunt. Apud priscos uerò Poëtas non semper subtrahebatur. M. sed relinquebatur in carmine breuis, cuius rei extat exemplum Ennij ex.10. Annaliū, insignita ferè tum millia militum octo, ubi in, militum, manet. M. breuis. Cuiusmodi multa apud Lucretium reperies carmina, ut est illud ex.1.lib. desumptum, Corporum augebit numerum, summamq; sequetur. item illud ex eodem lib. Corporum in plumbo est, tantundem pendere par est.

Sunt tamen multi, qui cōtendant pro uirili probare apud iuniores etiam. M. non expungi, quibusdam carminibus persuasi, quibus nos uno uerbo satisfaciemus. Primum carmen est Iuuenalis. 9. Saty. Viuendum est rectè tum propter plurima, tum his. Vbi in ultimo, tum, manet. M. Secundum carmen est Persij.2. saty, impello, expungam, nam est scabiosus & acri, ubi in, nam, manet etiam. M. Tertium carmen est eiusdem Persij. 2. saty. Tot tibi cum in flammas iunicum omenta liquescant, ubi in, iunicum, relinquitur. M. Quartum carmen est Catulli, sospitem ereptum se ostendit uisere portum, ubi in, sospitem, nō fit Ecthlipsis. Quintum carmen est Ausonij in Epigrammatis, Post. M. incisum est puto sic, nō tota uidetur. sextum Horatij in carmine seculari, Roma si uestrum opus, iliçq;, uersus est sapphicus, tertius pes est Dactylus & non exteritur. M. His & a-

lijs

lijs huiusmodi carminibus suam sententiam tueri conantur. Verùm cùm nostra plus habeat roboris & autoritatis, & communi Poëtarum consuetudine firmata sit, respondeamus ad carmina allegata. Ad primum carmen iuuenalis respondeo legendum esse tum de his, ut Ascensius uult, aut tum istis ut Britānicus. Ad secundum carmen Persij, quod priori loco citatum est, respondeo legendum esse, nanq; est scabiosus. in carmine eiusdem Persij, quod posteriore loco allegauimus, legi debet iunicorum, pro iunicum, Aut iunicum terminatur in. N. & non in. M. Solent enim Poetæ metri gratia id facere. Quòd si neutra responsio satisfaciat, id uetustatis imitationi ascribito. In quarto carmine Catulli deficit coniunctio copulatiua, &, quæ debet interponi post, sospitem. in quinto carmine Ausonij latet nescio quid fallaciæ, nam ibi. M. nuda ponitur sine uocali adiūcta & non est contra naturam Ecthlipsis, quæ cum M. & uocali adhærenti negotium habet. in uersu Horatij ex Carmine seculari, post, uestrum debet addi, est. sic enim legitur, Roma si uestrum est opus, iliæq;. Semper ergo apud iuniores eliditur. M.

Secunda dubitatio.

Vertitur secundò in quæstionē, An fiat Ecthlipsis, si dictio desinat in. M, uocali præeunte, & sequens ab aspirata inchoetur? Respondeo quemadmodum in Synalœpha, per aspiratam non prohiberi Ecthlipsim, cùm non sit litera, sed aspiratio-

nis tantùm nota. Iuuenalis tertia Satyra, Tantum habet & fidei, iures licet & Samothracum.

Tertia dubitatio.

An duæ uocales auferantur per Ecthlipsim, si præcesserint. M? Respondeo, uocalem tantùm ad iunctam. M. expungi. Vergilius 1. Æneid. Imperium Oceano, famam qui terminet astris. Vbi in, imperium M. cum. V. tantùm abijcitur. I. uerò manet. Idem eodem libro. Ilium in italiam portans, uictosq; Penates. Polus gloriatur se inuenisse carmē apud Catullum, in quo ambę uocales eliduntur, Nunciam illa non uult tu quoque haud potis, quare. Carmen est Trimetrũ Iambicũ Hipponacticum sex pedibus constãs, in locis paribus Iãbis, in imparibus, Iambis aut Spondęis, & in, nũciam, M. cum duabus uocalibus pręcedentibus expungi debet, aliâs carmen scandi non posset. Mendosum est carmen, legendum est enim, Nunc iam, sunt enim duæ dictiones, quas Polus nescio quo lethargo correptus coniunxit. Vidi codicem, in quo sic scriptum inueni carmen. Iam nunc illa nõ uult. tu quoque impotens es. Quæ lectio nostræ sententiæ non paruo est firmamento.

Quarta dubitatio.

An in uersibus à dictione monosyllaba inceptis fieri posit Ecthlipsis, aut Synalœpha? Respondeo, tum Ecthlipsim, tum Synalœpham in principio uersus à monosyllaba incepti duriores esse, Ac proptereà summo studio uitandas, Poëtæ tamen

ab hu-

ab huiusmodi collisione non semper abhorruerũt. Horatius. 1. Sermo. Saty 3. *Nam ut ferula cędas meritum maiora sabire, ubi in nam, dictione mo nosyllaba, & in principio uersus posita, fit Ecthli psis.* Item. Catullus, *Qui ipse sui nati minxerit in gremium.* Martianus etiam Capella. lib. 9. de Musi ca, *Quæ istorum laudes protulit harmonia, ubi in, qui, & quæ in principio uersus fit etiam Syna lœpha.*

Postremò ut nihil relinquamus intactum, nota bis apud antiquos. M. cum sequenti uocali, nõ cum prędcedenti solitam fuisse expungi, ut dictust, fa ctust, pro dictum est, factum est. Et ne nominum similitudine decipiaris, intellige diuersam esse figu ram Ecthlipsim ab Eclipsi, Nam Eclipsis est defe ctus dictionis necessarię in oratione, ut studes, an piscaris, an uenaris, an simul omnia? intelligitur uerbum facis De Ecthlipsi uerò longè aliter sen tiendum est, de qua satis multa diximus. Quare ad primam quantitatis regulam properemus.

Syllaba, quam scribis Diphthongo, longa notetur.
Quòd si vocalis sequitur, breuiabis eandem.

His omnibus pręgustatis, quę ad ea, quæ super sunt dicenda, sunt apprimè necessaria, & ad reli quam syllabicæ quantitatis structuram ueluti fun damenta, tradit iam autor primam syllabarũ quan titatis regulam Cuius sensus est, Omnis syllaba Diphthongo scripta longa est, ut causa. Vergilius

1. libro AEneid. *Musa mihi causas memora, quo numine læso.* Item audio, idem cô lem libro, *Audierat, Tyrias olim quæ uerteret arces.* Item cædo Persius Saty. 1. *Nec Pluteum cędit, nec demorsos sapit ungues.* Ac non tantùm diphthongus est longa, sed omnis uocalis, in quam in compositione mutatur Diphthongus, est etiam longa. Solet autem Diphthongus aliquando mutari in. E. Vt audio, obedio. Aliquando in. I. ut lædo, elido, Aliquando in. O. ut plaudo, explodo, Postremò in. V. ut claudo, recludo, in quibus omnibus uocales illæ in quas mutata est Diphthongus, longæ sunt, sicut & Diphthongus ipsa. Quæ res adeò manifesta est, ut nullis Poëtarum testimonijs indigeat, & propterea nos autoritatibus supersedemus.

Quid sit Diphthongus.

Quia tamen tota hæc regula uersatur circa Diphthongum, disputemus oportet, quidnam sit Diphthongus: & quotuplex sit, & alia, quę ad naturam Diphthongorum explicandam non minus sunt necessaria. Diphthongus est conglutinatio duarum uocalium in eâdem syllaba, suam uim retinentium. Conglutinatio, id est, constricta quędam coniunctio: Metaphora sumpta à rebus, quę glutino coniunguntur. Duarum uocalium, nam Diphthongus (teste Quintiliano lib. 1. cap. 4 de Grãmatica) Ex tribus aut pluribus uocalibus cõflari non potest. In eâdem syllaba, quia tametsi duæ uocales separatę duas syllabas constituant,

coniun-

coniunctæ tamen in Diphthongum, unam tantùm syllabam efficiunt. Suam uim retinentium, quia in Diphthongo, quælibet uocalis retinet suum sonũ, & propterea dicta est Diphthõgus, ἀ, dis, quod est, bis, & thongos, sonus, quasi duplex sonus. Vsus tamen doctorum hominum obtinuit, ne duæ illæ uocales pleno sono proferantur, sed altera earum aut supprimatur, aut raptim efferatur, quod paulò inferius explicabimus.

Quotuplex sit Diphthongus.

Sunt autem Diphthongi, quibus Latini utuntur, sex. Ae. Au. Ei. Eu. Yi. Oe. quarum tres Ei. Eu. Yi. in dictionibus tantùm Græcis reperiuntur, reliquæ tres. Ae. Au. Oe. in græcis pariter & Latinis. Vt autem harum Diphthongorum prolatio omnibus nota sit, trium uerborum significatio nobis etiã explorata esse debet. profero, rapio, supprimo. Proferre, est cùm integrũ & plenũ sonũ uocali dam⁹, ut. A. in audio. Rapere, est cùm raptim uocalis profertur, ut. V. in eodem uerbo audio. Supprimi est cùm ferè uocalis nihil habet plationis, sed paululum quiddã atque obscurum sonat, ut. A. in Musæ. In tribus igitur Diphthongis. Ae. Ei. Oe. priores uocales supprimuntur, id est, paululum quiddã atque obscurũ sonant, sequentes uerò uocales plenè enunciantur. In reliquis uerò tribus. Au. Eu. Yi. priores uocales proferuntur integræ, sequentes uerò rapiuntur, id est, raptim proferuntur, ita ut inter supprimere & rapere quantum ad hunc pertinet locum diffe

ren

rentiā faciamus, Quòd supprimere sit min⁹ quàm rapere, quemadmodū & rapere minus est, quàm proferre siue pronunciare.

Vtrùm sit quarta Diphthongus Latina.

Dubium est, Vtrùm pręter tres Diphthongos Latinas Ae. Au. Oe. detur quarta? Affirmāt aliqui ex. E. & I. fieri quartam Diphthongum in accusatiuis finitis in, eis, à genitiuis desinentibus in ium. ut in urbeis, Horatius in arte Poëtica. Vicinas urbeis alit, & graue sentit aratrum. Item in claßeis, Idem eodem libro, Terra, Neptunus claßeis Aquilonibus arcet. Item in treis, Vergilius. 1. AEneid. Treis notus abreptas in saxa latentia torquet. Sed meo iudicio falluntur, nam ut bene satis notat Quintilianus lib. 1. cap. 4. de Grāmatica, illud antiquorum more efficitur, qui quando uocalis aliqua longa erat, notam longitudinis superponebant, quę deinde decursu temporis dictionibus est inserta, & quia, is, terminalis in his accusatiuis lōga erat, nota lōgitudinis signata est quę deinde cum uocali I. conglutinata Diphthongum efficere uidetur, sed re uera Diphthongus non est. Aßerunt alij in his accusatiuis Synæresim fieri, sed decipiuntur etiam, nam Synęresis fit ex uocalibus proprijs dictionis, quarum neutra à dictione expelli poßit sed in his accusatiuis. I. tantùm est propria dictionis. E. uerò nota tantùm est lōgitudinis.

An uocales ex quibus fiunt Diphthongi.

Latinæ, in quacunque dictione sint, coeant in Diphthongum?

Quæritur præterea, An uocales illæ, ex quibus fiunt Diphthongi Latinæ, ubicunque reperiantur coalescant in Diphthongum? Respondeo, non semper uocales illas conglutinari, sed in multis dictionibus esse separatas. Nam ex. A. & . E. conficitur prima Diphthongus, tamen sæpissimè hæ uocales solutæ reperiuntur, ut in Phaëton, Ouidius 2. lib. Metamorpho. Magna petis Phaëton, & quæ non uiribus istis. Item in aër, Idem lib. 1. Metamorph. Aëra permisit, uix nunc obsistitur illis. Simile iudicium sit in Pasiphae, & Danae. Item. A. u. ex quibus conflatur secunda Diphthongus, non semper coniunguntur, ut in his dictionibus, Menelaus, Protesilaus, Agesilaus, Amphiaraus, sufficiat una autoritas Statij. 6. Thebaid. Amphiaraus equos, tua furto lapsa propago. Item tertia Diphthongus fit ex. O. & . E. non tamen semper cohæret, ut in his, Poëta, Poëma, Troës, Horatius. 2. lib. Episto. 1. Epistola, Virtus, indigno non committenda Poëtæ: Idem paulò post, splendida facta linunt, idem Rex ille, poëma. Vergilius. 2. AEneid. Dardaniæ, fuimus Troës, fuit Ilium, & ingens. Omnibus ergo apertè innotuit, non semper uocales Diphthongorũ cohærere in Diphthõgum.

Vtrum Diphthongi tã Latinæ quàm Græcæ dissoluantur?

Ne tamen quis falsò opinetur Diphthõgos dis

soluinon posse, illud habeat pro comperto, tam Diphthongos Latinas, quàm Græcas solêre à Poëtis dissolui. A. e. ut in AEneus. Ouidius. 1. lib. Metam. Tertia post illam succeßit Aëneaproles. A. u. ut in gaudeo, Catullus, Verbosa gaüdet Venus loquela. Carmen est Phaleuticum constans spondeo, Dactylo & tribus, Trochæis. Non ignoro potuisse etiam in secunda regione Spondeum pro Dactylo poni sine solutione Diphthongi O. e ut in, Oëte, Seneca in Sapphico dissoluit, Quę sub Oëte latebrosa syluis. Cùm tamen Ouidius. 9. Metamorpho. per Diphthongum pronūtiauerit, Arboribus cæsis, quas ardua gesserat Oete. Diphthongi etiam Græcæ dissoluuntur. E. u. ut in, Gryneus, quod est dissyllabum. Ouidius decimo secundo Metamorph. Cumq; suis Gryneus immanem sustulit aram. Idem eodem libro fecit trißyllabū, Figitur hinc duplici Gryneus lumina ramo. Idem censendum est in Orpheus, Antheus. Item E. i. ut Penthei. Orphei. Brysei. Dissoluitur à Persio. 1. Saty. Est nunc Brysei quem uenosus liber Acci. Yi. ex sententia Poli nunquam dissoluitur, Ego tamen apud Horatium. 2. Sermonum. Satyra. 2. solutam inueni. vellem ait Harpyis gula digna rapacibus. At uos.

Quot de causis fuerit inuenta Diphthongus.

Illud postremò addamus Diphthongum tribus de causis fuisse inuentam, ut notat Daniel Caietanus in commentarijs, quos edidit in Priscianum lib.

lib. 1. capit. ultimo. Gratia differentiæ, ut quæ, ad differentiam, que, coniunctionis copulatiuæ. Sonoritatis, ut Musæ: sonorius enim & pulchrius est dicere Musæ. A. & E. in Diphthongum coniunctis, quàm si dicatur Musae. A. & E. separatis. Compositionis, ut significatio duarum partium in unam componatur & conglutinetur dictionem, ut cœtus à cocundo. Poteris tu addere, si uelis, Ad deprehendendam etiam quantitatem syllabæ inuentam fuisse Diphthongũ, cùm omnis Diphthongus longa sit.

Dubitationes de Diphthongo.

His omnibus prælibatis, ad id, quod præcipuũ est accedamus, ad quantitatem scilicet Diphthongorum examinandam. Primùm omniũ inquiritur, Vtrùm omnis Diphthongus sit longa? Distinguo, aut Diphthongus est in dictione simplici, aut composita, si in simplici, siue dictio Græca sit, siue Latina, siue post Diphthongum sequatur uocalis, siue consonans, Diphthongus semper est longa. Esto exẽplũ in dictionibus Græcis, in quibus post Diphthõgum sequatur uocalis, ut in AEolus, Vergilius 1. lib. AEneid. AEolus hæc contra, tuus ô Regina quid optes. Itẽ in AEacus. Iuuenalis Saty. 1. AEacus, unde alius furtiuæ deuehat aurum, Esto exemplum in dictionibus, in quibus sequatur cõsonans post Diphthõgum, ut in AEneas, Verg. 1. AEneid. AEneas scopulum interea conscendit, & omnem. Singulare est illud Ouidij, & Græcanicę licentię imitatione factum. lib. 3. de Tristibus

Elegia.12, Tardior antiquis uisa Mœotis hyems. Vbi in, Mœotis, Diphthongus breuiatur. sit exẽplum in dictionibus Latinis, in quibus post Diphthongum sequatur consonans, ut in prẹmium. Ouidius.13. Metamorpho. Prẹmia magna peti fateor, sed demit honorem. Item in gaudeo, Horatius.1. Episto.8. Epistola ad Celsum, Celso gaudere & bene rem gerere Albinouano. Si uerò post Diphthongum sequatur uocalis, quod nõ in dictionibus simplicibus, sed in compositis tantùm reperitur, Diphthongus erit breuis, ut in, prẹuro. Verg.7. AEneid. Stipitibus duris agitur, sudibus uè prẹustis, Item in prẹeo, Idem quinto AEneid. Nec tota tamen ille prior præeunte carina. Raro tamen in huiusmodi compositione deprehenditur longa. Martianus Capella lib.1. Philologię, Prę optare caret si quod placet, atque necesse est, Itẽ Statius, 6. Thebai. Prẹmia cùm uacuus domino præiret Arion. Postremò, Si dictio siue illa Grę ca sit siue Latina in Diphthongo terminetur, sequatur uerò altera dictio à uocali incœpta, Diphthongus eliditur per Synalœpham. Vergilius primo Georgi. deficerent syluę, & uictum Dodona negaret. Raro tamen manet, & tunc indifferens est. Breuis est apud Vergilium tertio AEneidos, Insulæ Ionio in magno quas dira Celæno. Apud eundem relinquitur longa septimo AEneid. Ardea Crustumeriq;, & turrigeræ Antennę. Ex hac distinctione nullus erit quãtumlibet duro & agresti ingenio prẹditus, qui non deprehendat facilè

Diph

Diphthongorum quantitatem.

Diphthongi & Synæresis differentia.

Quia Diphthongus est conglutinatio duarũ uocalium, & Synæresis est etiam conglutinatio duarum uocalium, quęritur, Utrùm differãt aliqua ratione? Respondeo quadruplicẽ esse differentiam. Prima, Quia Diphthongus fit ex uocalibus assuetis, quę per naturam coire possunt, Synæresis uerò ex uocalibus, quæ contra naturam conglutinantur. Secunda, in diphthongo seruatur ordo in uocalibus, nam aut præcedit. A. *aut.* O. *(loquor de diphthongo Latina) in Synæresi nullus ordo seruatur. Tertia, diphthongus fit tam in carmine, quàm in soluta oratione, Synæresis tantùm in carmine. Quarta, in diphthongo ambæ uocales retinent suam uim, in Synæresi unius tantùm uocalis sonus redditur.*

Quid Synæresis, & quot modis fiat?

Quia Synæresis & dięresis sunt figurę Poëtis admodum familiares, ideò de his admonere lectorem necesse est, Synæresis, est conglutinatio duarum uocalium contra naturam in unam lõgam, Contra naturam dixi, quia in Synæresi duæ illæ uocales ueluti per uim cohęrent, in quo differt à Synalœpha, in qua duæ uocales non cohærent, sed altera expungitur. Non immeritò itaq; appellata est Synæresis à sin, quod est simul, & æresis diuisio, quasi diuisarum uocalium coniunctio & conglutinatio. Differt etiàm Synæresis à Synalœpha, quòd Synæresis non in omni uersu,

neque etiam certa aliqua lege, aut necessitate metri fit, sed solùm pro ea, quam sibi ipsi uoluntas & arbitrium componentis imposuit. Synalœphā uerò necesse est, ubiq;, & in omni metro legitimê fieri.

Fit autem Synæresis ex uarijs atque uarijs uocalibus, quas si uellemus omnes colligere, infiniti laboris negotium susciperemus. Proponamus tantùm quatuor capita generalia Synæresis. Primum, fit ex duabus uocalibus breuibus, Lactantius in Phœnice, Duodecies undis irrigat omne nemus. Item in carmine illo Varronis, Cùm te flagranti deiectum fulmine Phœton, ubi, Phaëton, quod trissyllabum est, per Synæresim protulit dissyllabum. Secundum, Ex duabus uocalibus longis, Ouidius. 7. Metamorph. Dissimilemq; animum subijt pater AEta relictus. Tertium, Ex breui & longa, ut in aluearia, Vergilius. 4. Georgicorum, Seu lento fuerint aluearia uimine texta. Quartum, Ex longa & breui, Martialis. Sint Mecænates, non deerunt Flacce Marones, ubi in deerunt, uocalis longa & breuis pro una longa sumuntur.

De Diæresi.

Quia contrariorum eadem est disciplina, ideò agendum est etiam de Diæresi, quę est contraria Synęresi. Nam ut Synęresis ex duabus syllabis unam facit, ita diæresis unam in duas dissoluit. Vnde & nomen inuênit, dicta est enim à uerbo Græco, diæreo, quod diuidere significat, Vnde diç

de diæresis, quasi unius syllabę in duas diuisio. Fit multis modis. 1. in diphthongo ex. A. &. E. quā dissoluebant antiqui in, Ai, Vergilius. 3. AEneid. Aulai in medio libabant pocula Bacchi. Persius. Saty. 6. Lunai portum est operæ cognoscere ciues. Dissoluebatur etiam eadem diphthongus in easdem literas, ex quibus conficitur, Vergilius de cantu Sirenum, Quodq; leues calami, quod suauis cantat Aëdon. Interponebatur aliquando inter eas uocales aspiratio, ut solutionem uocalium esse factam facilè posses intelligere. Horatius. 1. Episto. Epistola. 1. Si rectè facies. Hic murus aheneus esto. Quando hæc diphthongus dissoluitur in, ai, more Grçcorum fit, apud quos ea Diphthongus, quæ sonat. E. fit ex. A. &. I. & tunc prior uocalis est longa. Si uerò in proprias uocales dissoluatur, prior uocalis est breuis, ut in exemplis iam citatis quiuis facilè intueri potest. Secundò fit in diphthongo ex. A. &. V. quam solent Poetę dissolueue, Catullus, uerbosa gaüdet Venus loquela. Secundus pes est Dactylus, & in gaüdet ex quorundam sententia soluta est diphthongus. Tertiò fit in Diphthongo ex. O. &. E. Seneca in Sapphico. Quę sub Oëte latebrosa syluis. 4. fit in tribus Diphthongis Gręcis, quas Poëtæ separare solent, ut paulò antè exemplis cōfirmauimus. Quintò fit quādo. V. consonans efficitur uocalis, ut in soluo, aut quando. V. liquida efficitur etiam uocalis, quod apud Lucretium fre

quentißimè uidere licet, apud quem aqüa, Süanis, suëuus, suäjit, pro aqua, suauis, sueuus, sua sit posita reperies. Sextò *fit quando.* I. *Consonans in uocalem mutatur, ut in his datiuis,* Cui, *&* Huic, *in quibus.* I. *consonans est, & tamen aliquando efficitur uocalis,* Manilius *quarto, Sic erit & sedes fugienda petenda cuiq;.* Statius *primo* Syluarũ *prima Sylua, Lætus huic dono uideas dare thura nepotes.*

Secunda dubitatio.

Est dubium, An in his particulis. Neu. Heu. Ceu. Seu. *fiat Synæresis? in hac quæstione diuersa est* Grammaticorum *sententia.* Alij *affirmant perpetuam quandam Synęresim in his fieri, &* .V. *esse uocalem.* Alij *tenent has particulas eße abscißas, & mutilas, erant enim antiquitus integrę.* Neue, Heue. Ceue. Seue. *in quibus.* V. *cõsonans erat, & post abscißionem, consonantis adhuc fungitur officio.* Quorum *opinio mihi rationi magis consona uidetur.* Omnes *tamen, utcunq; sit, longæ sunt.* De. Neu. Horatius *in arte* Poëtica. Neuè *minor quinto, neu sit productior actu.* De Heu, Vergilius. 2. AEneid. *Heu quæ nunc tellus inquit, quę me æquora poßunt.* De. Ceu. Vergilius. 2. Ænei. *Aduersi rupto ceu quõdam turbine uenti.* De Seu, Horatius. 1. Episto. Epistola. 3. *Seu linguam causis acuis, seu ciuica iura.* Sed *argumentor de,* Heu, *quòd sit dissyllaba particula,* Verg. *in* Bucolicis. 2. Ecloga. *Heu quid uolui misero mihi, floribus Austrum. idem*

Ecloga. 3. Heu quàm pingui macer eſt mihi taurus in aruo. Quæ carmina ſcandi non poſſunt, niſi, Heü, ſit diſsyllaba, Reſpondeo ibi non eſse legendũ. Heu. ſed Eheu. quod in emẽdatis codicibus ſcriptum reperies. Non deſunt tamẽ, qui affirmẽt. Heu. Legendum eſſe, & V. per Diæreſim fuiſſe diſſolutam.

Tertia dubitatio.

An in hoc uerbo, reprehendo, diphthongus ſit longa, an breuis? Omnes fermè Grammatici, qui de ſyllabæ quantitate diſputant, reſpondent breuem eſſe. Propertius lib. 3. Quam poßit ueſtros quiſquam reprehendere curſus. Et aliquando fieri triſſyllabum, & longam eſſe. Horatius. 1. li. Epiſto Epiſtola. 18, Nec tua laudabis ſtudia, aut aliena reprendes. Ego tamen ita ſentio omnes Grammaticos hac in parte fuiße hallucinatos, & in re non neceſſaria operam perdidiße. Nam hoc uerbum, reprehendo, ſine Diphthongo ſcribitur, & ſecunda ſyllaba perpetuò breuis eſt per regulam de uocali ante uocalem. Si uerò per Synæreſim triſſyllabum efficiatur, eadem ſecunda ſyllaba erit longa poſitione. Idem iudico de Geometra, quæ uox Diphthõgo non ſcribitur, cùm apud Græcos per Epſylon ſcribatur. Malè ergo Polus aßeruit, cùm ageret de diphthongo, primam ſyllabam, ge, longam eſſe diphthongo. Si quæras quanta ſit ea ſyllaba, reſpondeo longam eſſe Iuuenalis autoritate. 3. Satyra, Grammaticus, Rhetor, Geometra, Pictor, Aliptes, Et ad carmẽ Sidonij

Phaleuticum. Non hic cùm Geometricas ad artes. *in quo apparet eam syllabā breuiari, cùm hoc genus metri dactylum habeat in secunda regione.* Respondeo Spondeum pro dactylo fuisse positum, *& uocalem.* E. *&.* Omega, *per Synæresim in unā longam contractas fuisse.* Hæc dixiße de diphthō go sufficiat, *& ad regulam de positione consonantium gradum faciamus.*

Siue breuis, seu longa tibi vocalis habetur,
Porrectam dices, si duplex consona subsit.

Hæc est secunda regula quantitatis, in qua agitur de duabus consonantibus. Sensus est, si post aliquam uocalem, siue breuem, siue longam, sequātur duæ consonantes, ea uocalis erit longa positione. sed quare dixit, si sequatur duplex cōsonans? quia uocalis non dicitur longa ratione consonantium præcedentium, sed sequentium, ut in hoc nomine, scrobs, uocalis. O. *non est lōga ratione.* s. C. *&.* R. *quę pręcedunt, sed gratia.* B. *&.* s. *quæ sequuntur.* Quæritur *etiam,* Quare *dixerit, siue breuis seu longa, cùm uocalis natura longa nunquam efficiatur longa positione consonantium?* Vt *hunc nodum soluamus notare oportet, syllabam dupliciter appellari longam, natura, aut positione. Illa syllaba dicitur longa natura, quæ ex se sine præsidio consonantium longa est, ut in supino ductum, quod à duco deducitur, uocalis.* V *-lōga est, tamet si duæ consonantes non sequerentur, Illa uerò dicitur longa positione, quæ cùm sua na*

tura

tura breuis sit, ratione duarum uel plurium consonantium sequentium efficitur longa, ut in hoc nomine terra, quæ à terendo dicta est, uocalis. E breuis est natura, ratione tamen duplicis. R, producitur. Eodem modo gens quoniam à genere deriuatur, in quo prima est breuis, primam quoque debuit breuiare, producit tamen eandem ratione duplicis consonantis, hoc est, ns. Ex qua distributione colligere licebit, eam uocalem propriè dici longam positione, quæ cùm natura breuis esset, ratione consonantium effecta est longa. Quòd si fuerit longa natura, quamuis duæ consonantes, aut plures sequantur, nunquam erit longa positione. Respondeo modò, Antonium cùm regulas quantitatis tradere inciperet, & nondum exploratum esset, quæ syllaba naturâ longa esset, quæ contra breuis, utranque confudisse, & sic rudi quadam Minerua præcepisse, syllabam naturâ longam, si sequantur duæ consonantes, positione longam dici. Ratio autem huius regulæ est, quia quęlibet consonans habet medium tempus, & uocalis natura breuis habet unum tempus, & sic duo illa tempora uocalem breuem efficiunt longam, Hanc rationem tangit Quintianus Grãmaticus Epographia secunda capi. de positione.

Dubitationes circa regulam.

Dubitatur primò circa regulam, quot modis fiat positio, hoc est, quot modis cõtingat, uocalem breuem fieri longam à sequentibus cõsonantibus? Respondeo quinque modis fieri. Primo, quando

duæ

duæ consonantes sunt in medio dictionis, ut arma, ferrum Secundo, Quando sunt in fine dictionis, ut mars, pars. Tertio, Quando altera consonans est in fine dictionis præcedẽtis, altera uerò in principio sequentis, Vt at Regina. Quarto, Quando aliqua dictio desinit in consonãtem, & excipitur à uocali consonantis loco posita. V. uel I, ut, At Venus, at Iuno. Quinto, Quando consonans duplex, quæ habet uires duarum consonantium, ponitur in medio dictionis, ut gaza, Mezentius, aut in fine, ut fax, grex.

Secunda dubitatio.

Dubitatur etiam, Vtrùm fiat positio, si duæ consonantes collocentur in principio dictionis sequentis? hoc est, si dictio finiatur in uocali breui, & sequens à duabus consonantibus, aut pluribus incipiatur, An illæ consonantes uocalẽ præcedentem breuem producere ualeant? Hæc est grauis quæstio, & circa eam digladiantur nobiles Grammatici. Antonius Nebrissensis cum suo Prisciano, Martiano capella, & Diomede tenet in commentarijs duas consonantes in principio dictionis producere posse uocalem breuem pręcedẽtis dictionis. Adducit carmen unum Iuuenalis. 8. Saty. in suæ sententiæ confirmationem. Occulta spolia & plures de pace triumphos. Vbi uocalis ultima in occulta, quæ breuis erat, efficitur longa à sequentibus consonantibus: item duo carmina Vergilij, alterum est ex quarto Georgicorum, Terrasq; tractusq; maris cælumq; profundum.

Alte

Alterum ex primo Georgicorum, Tribulaq;, traheæq; & iniquo pondere rastri, in quibus, q;, breuis, ratione consonantium, quæ sequuntur, efficitur longa.

Est alia opinio, quam omnes fermè Grammatici (his tantùm exceptis) tenent, duas scilicet consonantes in principio dictionis positas non posse uocalem præcedentem breuem producere. Quæ sententia ex multis Poëtarum autoritatibus plurimũ suscepit roboris. Horatius. 1. Sermonum. Saty. 5. Linquimus, insani ridentes præmia scribæ. Idem primo sermo saty. 3. si quod sit uitium non fastidire, strabonem. Idem eâdem saty. Ignoscent, si quid peccauero stultus, amici. Vergil. AEneid. 6. Phœbe graues Troiæ semper miserate labores. Idem. 11. AEneid. Ponite, spes sibi quisque, sed hęc quam angusta, uidetis. Hæc opinio mihi magis placet, & ad carmina opposita respondeo uocalem breuem factam fuiße longam ratione cæsuræ, & non gratia consonantium. Antonianæ sententiæ fautores solent etiam alia carmina in medium adducere, quę Ectasi excusantur. Est autem Ectasis productio syllabæ contra naturam. Martialis. 5. libro. Quid gladium demens Romana stringis in ora. Vergilius. 9. AEneid. Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros. Adducunt etiam quædam carmina mendosa. Ouidius sexto Metamorph. Deseruere sui Nymphæ uineta Tmoli. Ex sententia Raphaëlis Regij legendum est Tymoli. Nam mõs ille Lydiæ Tmolus, & Tymolus appellatur. Iuue

nalis

nalis. Saty, sexta. Gibbus, & acre malum sæpe stillantis ocelli, legendum est semper. Idem Satyra tertia, Contemnit, miseræ cognosce præmia rixæ, legendum est procemia. Vergilius decimo AEneidos, Nec Clytio genitore minor, nec fratre Mnestheo, legendum est ex sententia Seruij Menestheo. Catullus, Dulce Mnemosynon mei sodalis, legendum est, Verum est Mnemosynon mei sodalis. Sic tu poteris optime lector quàm plurimis alijs carminibus satisfacere, tenebisq; duas consonantes in principio dictionis non efficere positionem, hoc est, non posse producere uocalem breuem præcedentem.

Hęc tria sint elementa tibi geminantia vires.
Zeta valet sigma cū delta. Xi. Cappa. sigma.
Atq; duas inter vocales Iota repertum
Pro duplici numera, modo sit tibi dictio simplex.

Pars est regulę superioris, & sensus est, Tres literas. X. Z. & I. in medio duarum uocalum positā, habere uim duarum consonantium, & producere etiam uocalem pręcedentem. Sed uideamus oportet, quibus consonantibus æquiualeāt. Z, qua tantùm in dictionibus peregrinis utimur, capitur pro. S. & D. ut pro ezras, esdras. Pro Mezētius Mesdentius. Aliquādo pro alterutra, pro. S. tātum, aut pro. D. tantùm. Vt Medentius, pro Mezentius. Zaguntum pro Saguntū. Aliquando pro duplici, ss. ut patrisso pro patrizo, euāgelisso pro euangelizo, massa pro maza. X æquiualet. C. &

S. nam

S. nam id. quod nos per. X. scribimus, antiqui per C. & . S. scribere soliti sunt, ut pacs pro pax. Capitur etiam pro. G. S. Nam id, quod nos scribimus per. X. antiqui etiam per. G. S. scribere consueuerunt, ut legs, pro lex, Hoc ex genitiuis facilè percipi potest, quia antiqui genitiuos formabãt à nominatiuo. I. posito inter. C. & . s. aut inter. G. & s. & in hunc modum has dictiones inflectebant, pacs, pacis: legs, legis. Valet postremò pro dupli ci, ss, ut Vlysses pro Vlyxes. I. ponitur etiã pro duplici, ij, atque ita ualet producere etiam uocalem præcedentem, quam literã etiam uetustißimi usq; ad Ciceronis tempora duplicem scripserunt, quarum prior ad uocalem præcedentem, posterior ad sequentem pertinebat, ut Maija, Pompeijus. A Ciceronis autem temporibus ad nostra usque tempora, illud est in usu, & consuetudine, ut simplicem literam scribamus, quæ duplicis consonantis uires habet.

Dubitationes.

Sit prima dubitatio, Vtrũ hæ tres cõsonantes duplices quocunq; loco reponantur, habeant uim producendi uocalem præcedentem? Respondeo, in medio aut in fine dictionis producere posse, in principio autem minimè. Nam in principio dictionis collocatæ pro simplicibus reputãtur, sed has consonantes suo ordine percurramus, ut id poßit omnibus innotescere.

De. Z.

Z. in medio dictionis producere ualet uocalem præce-

præcedentem, ut gaza. Vergilius. 1. AEneid. Arma uirûm, tabulæq;, & Troia gaza per undas, quamuis Iuuencus Poëta breuiauit in eo uersu, Et gaza distabat rerum possessio fulgens. Cæterum id fecit præter communem Poëtarum usum, præterq; rationem. Item in hoc nomine Mezentius. Vergil. 10. AEneid. At uerò ingentem quatiens Mezentius hastam. In fine dictionis Latinæ nunquam reperitur, & propterea non oportet esse de autoritate solicitos. Verùm in dictionibus peregrinis, si in fine reponatur, producet etiam uocalem præcedentem, ut in Achaz, Booz.

De. X.

X. habet etiam uim duplicis in medio, & in fine dictionis. In medio. Vergil. 4. AEneid. Dixerat, ille patris magni parêre parabat. In fine. Idē. 1. AEneid. Vix è conspectu siculæ telluris in altum.

De. I.

I. Etiam in medio, & in fine dictionis ualet producere uocalem præcedentem. In medio, ut maior Vergil in Bucolicis. Ecloga. 5. Tu maior, tibi me est æquum parêre Menalca In fine, ut in hoc datiuo Cui, Verg. 1. AEneid. Cui pater intactam dederat, primisq; iugarat.

Secunda dubitatio.

Dubitatur secundò. An hæ tres cōsonantes in principio dictionis positæ uocalem præcedentem producant? Respondeo, eas consonantes in princi-

pijs dictionum pro simplicibus censeri, atque ita non posse uocalem pręcedentem producere. De. Z. Vergil.3. AEneid. Iam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos. De. X. Lucanus.2. Pharsalix, Tales fama canit tumidum super æquora Xerxem. De. I. vergil. 1. AEneid. Talia iactāti stridens Aquilone procella.

Dubitationes de. I.

Prætermissa generali duplicium tractatione, erit peculiaris disputatio de. I. Et quæritur primò, Quare. I. in medio dictionis uocalem præcedentem producere ualeat? Respondeo illud esse in causa, quia æquiualet duplici, ij. quę ab antiquis in dictionibus scribebatur, modò uerò duę illę, ij, cesserunt in unam, & quemadmodum duplex. ij, producebat uocalem præcedentem, ita modò simplex producit.

Secunda dubitatio.

vtrùm. I. in fine dictionis antecedentem uocalem producere ualeat? Respondeo, siue consonantis, siue uocalis officio fungatur, ualere producere, ut in his datiuis, Cui, Huic, & in uocatiuis nominum propriorum desinentium in, aius, uel in, eius, qui formantur à nominatiuo, us, rapta. Horatius in Epistolis prima Epistola, Cui sit conditio dulcis sine puluere palmæ. Verg. primo AEneid. Huic coniux Sichæus erat, ditissimus agri. Ouid. 4. de Ponto, Accipe Pompei deductum carmen ab illo. Mar. 2. lib. Quod peto da Cai, non peto cō silium.

Tertia dubitatio.

Utrùm I. in medio dictionis posita producat uocalem præcedentem, si sit uocalis? Respondeo, *solêre producere in nominibus præsertim adiectiuis finitis in, aius, ei', oi'.* Mart li. 9. *Peruigili in pluma Caius ecce iacet.* Verg. 7. AEneid. *Tu quoq; littoribus nostris Aeneia nutrix.* Idem. 6. AEneid. *Dedalus (ut fama est) fugiens Minoia regna.*

Quarta dubitatio.

Utrùm I. in dictionibus compositis habeat etiã eandem uim producendi uocalem præcedentem? Distinguo. *Aut componitur cum aduerbio, aut cũ præpositione, si cum aduerbio, non producit uocalem præcedentem, ut in bijugus, quadrijugus.* Vergil. 3. Georgi. *Martis equi bijuges, & magni currus Achillis.* Idem eodem libro, *centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.* Si cum præpositione, *producit uocalem præcedentē, ut in proijcio.* Horatius *in arte Poëtica, Proijcit ampullas, & sesquipedalia uerba.* Item in Peiero. Catullus, *per Consulatũ peierat Vatinius.* Carmẽ est Trimetrum iambicum, & in tertia regione est Spondeus. *Excipitur hoc uerbũ reijcio; in quo indifferenter longa & breuis reperitur.* Longa est, quãdo *sequitur duplex ij, quorũ prius consonans est, & posterius uocale.* Vergil 3. Georgi. *Reijce, ne maculis infuscet uellera pullis.* Breuis est, *quando exteritur prius I, quod est consonans,* Vergil. in Bucolicis. 3. Eclogæ. *Tityre pascentes à flumine*

reice

rcice capellas, in quinta regione habet Proceleumaticum, qui cōstat quatuor syllabis breuibus. Idē contingit in compositis cum. Ad. Ab. Sub. Ob. ut adijcio, abijcio, subijcio, obijcio, in quibus omnibus quando prępositiones breuiantur, exteritur. I. cōsonans. Mart. lib. 10. Si quid nostra tuis adicit uexatio rebus. Iuuenalis Saty. 15. Hunc abicit, sæua dignum ueraq; Charybdi. Lucanus lib. 7. Pharsaliæ, Ipse manu subicit gladios ac tela ministrat. Idem lib. 8. Cur obicis magno tumulum, manesq; uagantes. In prętcrito uerò huius uerbi reijcio longa est, quia expungitur. I. uocalis, & manet I. consonans. Verg. 5. ÆEneid. Hæc fatus, duplicem ex humeris reiecit amictum.

Quinta dubitatio.

Vtrùm in principijs dictionum. I. sit uocalis, an consonans? Vt hanc dubitationem expediamus notare oportet. I. aliquando uocalem esse puram, quando per se syllabam constituit, ut in secunda persona imperatiui huius uerbi, eo, aliquando consonantem, quando ferit uocalem sequentem, ut iam, Iuno. Aliquando mixtam, cùm in consortio consonantis syllabam facit, ut tibi, sibi. Modò ad quæstionem respondeo distinguendo, aut est in dictionibus Latinis, aut Græcis, aut Hebraicis. Si in dictionibus Latinis, si post. I. sequatur uocalis, plærunque est consonans, ut Iuppiter, iugum, iuuenis, iacio; si uerò sequatur consonans, est uocalis, ut index, in dico, ira. Si sit in dictionibus Græcis, semper est

uocalis. Nam I. apud Græcos nunquam fit conso-nans, ut Iulus, iambus, iaspis. Verg. 1. Aeneid. At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo. Horatius in arte Poëtica, syllaba longa breui subiecta uoca tur iambus. Martialis. 5. li. Sardonycas Smaragdos, Adamantas, iaspidas uno. In dictionibus tamẽ Hebraicis consonans est & uocalis, ut in Iacôbus Consonans est apud Mantuanum, Altera maiori lux est sacrata Iacôbo. Vocalis est apud Claudianum, Ne laceres uersus dux Iacôbe meos.

Illud obiter annotare libuit. I. tenui atque exili pronunciatione proferendum non autem clara. Nam qui literam. I. proferunt ut. G. barbarè proferunt, quandoquidem huic literæ cum. G. nullum est commercium. Errant etiam illi qui G. languido quodam sono pronunciant, ac si esset. i. hæc de duplicibus dixisse sufficiat.

Syllaba si breuis est natura, & muta sequatur

Cum liquida, semper breuiabit sermo solutus.

At carmen poterit producere, seu breuiare.

Restringit regulam generalem de duabus consonantibus, sensus est, Si post uocalem natura breuem, sequantur muta & liquida, non ualebunt eam producere, sed in soluta oratione perpetuò manebit breuis, in carmine uerò est dubia. Nam aliquando breuis, aliquando longa reperitur, ut tenebræ. Breuis est apud Verg. 2. AEneid.

neid. *Afflictus uitam in tenebris, luctuq; trahebam* Longa est apud eundem. 3. AEneid. *Noctem, hyememq; ferens, & inhorruit unda tenebris.* Item in pharetra, Atlas, uolucris, quorum omnium exempla petes ex eo fundamento L. aut R. aut. S. Notabis tamen quòd tametsi liquidæ à Grammaticis quatuor numerantur duæ tamen præcipuæ ac prope solæ sunt, quæ ad hãc exceptionem pertinent. L. & R. uidelicet. Nam. M. & . N. rarissimè hoc modo apud Latinos Poëtas usurpari uideas, & ferè non nisi in Græcis dictionibus, ut à me satis abundè explicatum est in fundamento consonantium liquidarum. Ratio autem huius regulæ est, quia liquida amittit eas uires, quas habet, & absorbetur quodammodo à muta, & non præbet medium tempus uocali praeeunti, quæ cùm non habeat duo tempora, longa fieri nõ potest.

Regulę leges.

Hęc regula intelligi debet quinq; legibus seruatis. Sit prima lex, Vocalis, quæ præcedit mutam & liquidam, debet esse naturâ breuis, nam si sit naturâ longa, tam in carmine quàm in soluta oratione manebit longa nec breuis unquam fieri potest, ut in simulachrum, uolucrum, lauacrum, uentilabrũ, uolutabrũ, salubris, aratrũ in quibus omnibus uocalis præcedens mutam & liquidam est lõga naturâ, quia aut à supinis, aut à nominibus descendũt, in quibus eadẽ uocalis est etiam lõga. His addamus hanc dictionem candèlabrum, quæ aliarum di

ctionum desinentium in, abrum, proportionem in quantitate sequitur, neq; unquam breuis, sed perpetuò longa uocalis. A. reperitur. Mart. in Apophoretis, De Candelabro magna lucerna tibi.

Secunda Lex.

Muta & liquida debent esse in eadem dictione, & non in diuersis. Nam si essent in diuersis, utraque suas uires retineret, & uocalis præcedēs perpetuò produceretur. Verg. 4. AEneid. At regina graui iamdudum saucia cura.

Tertia lex.

Muta & liquida esse debēt in eâdem dictione simplici. & non composita. Nam si dictio composita sit, & muta maneat in priore parte compositionis, liquida in posteriore, uocalis præcedēs manebit longa, nam utraque consonās per se effertur, & muta à liquida non absorbetur. Hoc autem fieri uidemus in dictionibus compositis cū his præpositionibus. Ab, ut ablatus, abnego. Ob. ut obrutus. Sub. ut sublatus. Ouidius in Epistola Penelopes, Obrutus insanis eßet adulter aquis. Horatius 2 lib. Epistol. 1. Epistola. Diuitiæq; per. grinæ, quibus oblitus actor. Vergil. 2. AEneidos Abnegat excisa uitam producere Troia. Verum si in dictione composita muta & liquida in eâdem compositionis parte simul maneāt, ita ut ambæ ad sequentem uocalem referantur, tunc præcedens uocalis tum longa, tum breuis erit, ut in uerbo recludo. Longa est apud Verg. secundo Georg. Ingredior, sanctos ausus recludere fontes. Breuis

est

est apud eundem. 1. AEned. Auxiliumq́; uix, ueteres tellure recludit.

Quarta lex.

Vt praecedat muta, & sequatur liquida. Nam si liquida praecederet mutam, uocalis etiam praecedens esset longa, ut in portus, altus. Verg. primo AEneidos, Est in secessu longo locus, insula portum. Idem eodem libro, Hoc metuens, molemq́;, & montes insuper altos, Ratio est, quia antequàm ad mutam accedamus, prolata est iam liquida, & à muta absorberi non potest.

Quinta lex.

Vt muta & liquida connectantur, & arctissima quadam societate coniungantur, ut supra uocalem sequentem cadant, & neutra praecedēti uocali adhaerescat. Nam si diuiderentur, utraq; suum robur retineret, & liquida defluere aut emolliri nō poßet. Quòd si fortè ignoras, quādo cōsonans adhęrere debeat praecedenti uocali, quādo sequētē accipe regulas, quas Nebrissensis tradit. 3, li. in erotematis Orthographiae ad eā rē satis necessarias.

Regulae diuidendarum consonantium.

Sit prima regula, si fuerit unica consonans inter duas uocales, semper pertinet ad uocalem sequentem, ut in dominus. Secūda regula sit sint duę consonantes eiusdem generis, prior adhęrebit pręcedenti uocali, posterior sequenti, ut ille, terra. Tertia, si sint diuersi generis, aut utraque est muta, & tunc pertinent ad uocalem sequentem, ut doctus: aut utraque liquida, & tunc diuidun-

tur, ut almus: aut prior muta, & posterior liquida, & ambæ cadunt supra sequētem, ut tenebræ, pharetra: aut prior est liquida, & posterior muta, & tunc separātur, ita ut altera præcedenti altera sequenti uocali adhæreat, ut partus, artus. Excipiuntur. M. &. N. *quæ licet liquidæ sint, cadunt supra sequentem uocalem. N am quando iunguntur.* M. *gerit uices mutæ.* N. *liquidę. Item intelligi debent regulæ in dictionibus simplicibus, nō tamen in compositis, quoniam in compositis consonantes erunt illius uocalis, cuius fuerant ante compositionem.*

De syllaba communi

Quia uocalis, quę mutam & liquidam pręcedit, communis est, quoniam in uersu longa, uel breuis esse potest secundum arbitrium & uoluntatem scribentis, ideò placuit præcipere, quot modis syllaba efficiatur cōmunis. Latini, *qui de hac re melius senserunt, sex modos posuerunt. Nam reliqui ab alijs adiecti ad hos reducuntur.*

Primus est, Cùm uocalem naturâ breuem, duæ consonantes sequūtur, prior muta, altera liquida, ut in pharetra, tenebræ, Atlas Cecrops. *quod à nobis multis autoritatibus firmatum est.*

Secūdus, Cùm dictio uocali lōga, uel Diphthongo *finitur, & alia à uocali, siue* Diphthongo *incipitur, tunc enim uocalis longa aliquando longa manet, aliquando efficitur breuis. quod indicium de* Diphthongo *etiam esse debet. De uocali longa sit autoritas* Vergilij. 1. Georgi. Ter *sunt co-*

næ

nati imponere Pelio Oßam, ubi in, conati, manet longa, in, Pelio, ex lõga efficitur breuis. De Diphthongo longa sit exemplum. Vergil. 7. AEneid. Ardea, Crustumeriq;, & turrigeræ Antennæ. De Diphthongo breui. Idem. 3. AEned. Insulæ Ionio in magno, quas dira Celęno.

Tertius, Quando syllaba naturâ breuis est in cęsura, tunc à Poëtis solet sæpißimè fieri longa. Verg. 2. Georgi, Muneribus, tibi Pampineo grauidus Autumno. De qua re cũ agemus de cæsura, dicemus abundè satis.

Quartus, Per Ectasim, Vergilius. 9. AEneid. Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros, ubi in tela, uocalis. A. breuis est, & Ectasi. facta est lõga.

Quintus, Quando syllaba est in fine uersus, ibi enim quęlibet syllaba indifferens est, iuxta uulgatum illud carmen, Vltima cõmmunis cuiusq; est syllaba uersus.

Sextus, Quando pronomen terminatur in C: qui modus magis ad pronomen, hic, quod indifferens reperitur, quàm ad generalem syllabæ communis rationem spectare uidetur. Breue est apud vergil. 4. AEneid. Solus hic inflexit sensus, animumq; labantem. Longum est apud eũdem 9. AEneid. Est hic, est animus lucis contemptor, & istum. Sed si sit aduerbium, semper est lõgum. Horatius. 1. Episto. 11. Epistola, Quadrigis petimus bene uiuere: quod petis, hic est. Hoc, in neutra terminatione non aliter, quàm productum legitur. Vergil. 4 AEneid. Hoc illud germana fuit?

me fraude petebas? In omnibus his modis illud ob seruandum est, ut ea potissimùm sequamur, quæ usus & consuetudo poëtarum maximè probat. Nam multa bene, atque eleganter interdum dicuntur, quæ si passim, atq; omnibus locis eodem modo usurpare uelis, ex uirtute in uitium uertuntur, tædiumq; ipsi etiam lectori generant.

Si post vocalem vocalis & altera subsit, (nã.
Illa prior breuis est, dũ sint modò verba lati
Nam Græci variant, nec certa lege tenentur.

Hæc est tertia regula generalis quantitatis, cuius sensus est, Si in dictione aliqua fuerit uocalis, & post eam sequatur altera uocalis, prior uocalis erit breuis, ut Deus. Horatius in arte Poëtica, Nec Deus intersit, nisi dignus uindice nodus. Hæc regula ad Latinas dictiones propriè pertinet, in ijs enim uocalis alia ante aliam ubiq; & quasi perpetuò corripitur. Cæterùm Græci nulla lege astricti uocalem ante uocalem aliquando producunt, aliquando corripiunt. Ratio autem huius regulæ est, quia nulla est consonans, quæ retardet sonum uocalis, atque ideò manet breuis. Solent enim consonantes uocalium sonum tardare, & ex breuibus longas efficere. Intellige autem hanc regulam, dummodo neutra illarum uocalium consonantis uim teneat. Nam in talibus hæc regula locum non habet, ut in uiuo, iuuo, noui, & similibus.

Dubi

Dubitationes circa regulam.

Sit prima dubitatio, Vtrùm in dictionibus Latinis uocalis ante uocalem semper sit breuis? Distinguo, aut uocalis ante uocalem est in eâdem dictione, aut in diuersis. Si in eâdem dictione, aut simplici, aut composita, si sit simplex, uocalis ante uocalem est breuis, ut in Deus. meus, suus. Si composita, aliquando est breuis, ut in dehisco. Vergilius quarto AEneidos. Sed mihi uel tellus optem prius ima dihiscat. Aliquando licet rarò longa est. Ennius. Annibal audaci dum pectore dehortatur. Aliquando prior uocalis eliditur per Episynaloepham. Vergilius in Bucolicis Ecloga. 3. Incipe Damoeta, tu deinde sequêre Menalca. Huius autem uarietatis ea uidetur esse ratio, quòd composita talia tametsi pro una eâdemq; dictione habentur, quia tamen ex diuersis inter se iuncta sunt, diuersorum quoque seu diuersè positorum quantitatem retinent, atque ita aliquando longa, aliquando breuis reperitur. Si uerò uocalis ante uocalem sit in diuersis dictionibus, aliquando eliditur per Synaloepham, ut ille ego. Aliquando manet breuis, ut Et longum formose uale. Aliquando longa. Vergilius. 3. Ecloga. Et succus pecori, & lac subducitur agnis. Hoc autem contingere solet Graecorum more, qui in diuersis dictionibus relinquunt uocalem ante uocalem aliquando longam, aliquando breuem, aliquando uerò elidunt.

Secunda dubitatio.

Vtrùm hæc regula adhuc in dictionibus Latinis simplicibus aliquam exceptionem patiatur? Respondeo pati tres illas exceptiones, quas Antonius apponit in litera, & præter illas, nos etiam alias subijciemus.

Prima exceptio.

Excipitur hoc uerbum, fio, in quo si posteriorem uocalem non sequatur. R. *siue sit dißyllabum, siue polysyllabum.* I. *longum seruatur. De dißyllabo.* Iuuenalis Saty. 7. Si *fortuna uolet, fies de* Rhetore Consul. Si uolet h c eadem, *fies de* Consule Rhetor. De *polysyllabo.* Catullus, *Ibi illa multa tum iocosa fiebant.* Carmē est Trimetrum Iambicum Hipponacticum, *in quo quintus pes Iambus est, & in fiebant polysyllabo uocalis ante uocalem est lõga. Qui multum autoritati* Nebrißen. *(ut par est) tribuunt, affirmant in hoc uerbo, fio, dißyllabo tantùm uocalem ante uocalem esse longam, & ad* Catulli *autoritatem respondent,* Catullum, *nisi quando* Hexametrum *uel* Pentrametrum *scribit, parum admodum curare syllabarum quantitatem. Verùm ego hac in parte potius accedo sententiæ* Iacôbi Micylli, *Despauterij,* Quintiani, *& reliquorum fermè* Grammaticorum, *qui tenẽt in hoc uerbo fio, siue dißyllabo, siue polysyllabo, si non sequatur.* R. *uocalem ante uocalem esse longam. Si uerò posteriorem uocalem sequatur.* R. *ut in fierem, fieri, uocalis ante uocalem est breuis* Horatius *in arte* Poëtica, Natura *fieret laudabile carmen, an arte,* Martialis *lib.* 7. Quo *possit fieri*

sit fieri modo seuere. Carmen est Phaleuticum. *In compositis item est iudicium. Nam ea, in quibus. R. sequitur posteriorem uocalem habent. I. breue. Vergil. 4. Aeneid. Confieri poßit. paucis, aduerte, docebo Ea uerò in quibus. R. non sequitur, habēt. I longum. Martialis lib 12 Hinc defio culusq;, & inde lippus.* Carmen est Phaleuticum. *Suffio tamen, & insio, corripiūtur quia a fio lō gè dissident in significatione (ut inquit Despauterius) sed autoritas non est ad manum.*

Secunda exceptio.

Excipiuntur *secundo loco genitiui & datiui quintę declinationis, in quibus. E. quod in penultima est fuerit purum, qui uocalem ante uocalem producunt, ut diei. aciei faciei, progeniei. Vergil. in uiro bono. Omnia quàm longi reputauerit acta diei At uerò si penultimam uocalem consonans praecedat, eadē corripitur, tam in genitiuo, quàm in datiuo. Vt spei. rei fidei, Tametsi Lucretius rei ponit. E. ferè ubiq; longa. lib. 1. Praetereà rei, quae corpora mittere poßit. Idem. 2. lib. tempore inane potest uacuum subsistere rei. Idem. lib. 6. Ipsius rei rationem reddere posis. Prudētius etiam in hoc genitiuo. fidei penultimam produxit. Accipit extemplo galeam scutumq; fidei. Hos tamen autores non imitaberis. Quod praecepimus de genitiuis, & datiuis nominum quintae declinationis intelligendum est, quando exeunt in, ei, tūc enim penultimam producunt. Cuius ratio est, quia haec nomina terminabantur antiquitus in ge-*

uis in. E. longo, modo addito. I. seruant eandem quantitatem. Cæterùm si hi genitiui terminentur aut in, es, aut in, e aut in, ij. duplicem, ut olim terminabātur, corripiūt uocalem ante uocalem. Vergil. 1. Georgi Libra die, somniq; pares ubi fecerit horas, ubi alij legunt, dies. idem 1. AEneid in Hemistichio. Munera, lætitiamq; dij, pro diei De His genitiuis Consule Gellium lib. 9. cap. 14.

Tertia exceptio.

Excipiuntur tertiò genitiui pronominum secundæ declinationis in, ius, & item nominum, quæ formam illorum sequuntur, ut illius, unius, nullius, in quibus. i quod in penultima est, in prosa producitur semper, in carmine autem indifferenter nunc producitur, nūc corripitur. Vergil 1. AEne. Vnius ob noxam & furias Aiacis Oilei. idem eodem lib. Nauibus (infandum) amissis unius ob irā. Item in, illius. Vergil. 6. AEneid. Quæ regio Anchisem? quis habet locus? illius ergo. Ex his nominib⁹, quæ formant genitiuum in, ius, duo excipiuntur, Alius, & alterius in quorum altero penultima semper est longa, hoc est in Alius, in altero uerò penultima est breuis. Vergil. 3. AEneid. Alter & alterius sequitur de cortice sanguis. Ratio autem huius est, quoniam ut Priscianus lib 7. testatur, alius, ratione declinationis per duplex. ij. debuit scribi, ut genitiuus nominatiuum aliqua sylla ba superaret, duplex autem illud. ij. conuersum fuit in simplex. i. longum ut idem testis est lib. 13. Atque ita genitiuus producitur, nominatiuus corripitur.

ripitur. Alterius uerò quia solum ex cæteris huius formæ, duabus syllabis nominatiuum superat, penultimam corripit semper.

Quarta exceptio.

Explicuimus Antonij exceptiones, addamus & nos alias. Excipiũtur quartò genitiui primæ declinationis antiqui in, âi, in quibus. A. longum est. Vergil. 7. AEneid. Exultantq; æstu latices, furit intus aquai. Idem. 3. AEned. Aulâi in medio libabant pocula Bacchi Sunt enim hi genitiui eiusdem quantitatis. cuius erant antequàm dissolueretur Diphthongus.

Quinta exceptio

Excipiuntur quintò uocatiui nominum propriorum desinentium in, aius & eius, in quibus uocalis ante uocalem est longa, quia recti quantitatem sequuntur. Martialis. 2. lib. Quod peto da Cai, non peto consilium. Ouidius. 4. de ponto. Accipe Pompei deductum carmen ab illo. Cuius ea uidetur esse ratio, quia ueteres, Caius, Pompeijus ij, duplici scribebãt. Vnde & uocatiui, abiecta, us, scribendi fuerant reliquis literis ijsdem, puta, Caij, Põpeij. Quæ scribendi consuetudo tametsi exoleuit, quantitas tamen eadem utrobiq; mansit. Aliquando in his uocatiuis, duæ uocales per Synæresim in unam conglutinantur. Horatius. 1. Epist. Epist. 7. Durus ait Vultei nimis, attentusq; uideris.

Sexta exceptio

Excipiuntur sextò interiectiones quædam, ut, Ohe, Eheu, in quibus uocalis ante uocalem est etiã

longa,

longa, tametsi in, Ohe, indifferens reperiatur. Martialis. lib. 4. Ohe iam satis est, ohe libelle. Carmen est Phaleuticum constans Spondeo, Dactylo: & tribus Trocheis, & in priori, Ohe, uocalis est longa, in posteriori breuis. Vergil. Ecloga 2. Eheu quid uolui misero mihi, floribus austrũ. Idem 3. Ecloga. Eheu quàm pingui macer est mihi taurus in aruo. Tametsi ut suprà annotauimus, alij, heü, per Diæresim legere malunt. Eandem formã sequũtur, Eho, Ahu, Ahe. Sed harum interiectionum non sunt in promptu exempla, nisi ad Poëtas Comicos uelis confugere, apud quos sunt in usu frequentißimo.

Septima exceptio.

Excipiuntur septimò quædam uoces, quæ origine quidem sua Græcæ sunt, à Latinis tamen quasi quadam usucapione pro suis retentæ usurpantur, Vt Dius, Diana, Aër, & si qua alia huius generis sunt. Vergil. 11. AEneid. Italides, quas ipsa decus sibi Dia Camilla. Horatius Episto. 2. Epist. 1. Bæotûm in crasso iurares aëre natum. Diana utroq; modo ponitur, alibi. I. longa, alibi. I. breui. Vergil. 1. AEneid. Exercet Diana choros, quam mille secutæ. Idem. 11. AEneid. Optauêre nurum, sola contenta Diana.

Octaua exceptio.

Excipiuntur octauò hi datiui. Ei, Cui, Huic, in quorum primo uocalis ante uocalem aliquando est longa, Lucretius libro. 2. Nec facilè in uenas cibus omnis diditur ei. Aliquando breuis, Iuuenalis,

Satyra

Satyra. 14. Ire uiam pergant & eidem incumbere sectę. Aliquādo per Synæresim duæ uocales cōtrahūtur. Catullus, *Eripere ei noli multò quod carius illi.* In, Cui, & Huic. non est uocalis ante uocalem, quia datiui sunt monosyllabi, & in illis. I. consonalis est. Sed si duarum syllabarum efficerentur, uocalis ante uocalem eßet breuis. nisi per Synæresim conglutinarentur. Manilius libro quarto, *Sic erit & sedes fugienda petenda cuiq;.* Papinius *Lætus huic dono uideas dare thura nepotes.* Hæ sunt huius regulæ exceptiones.

Tertia dubitatio.

Quia de Græcis dictionibus certum aliquid præcipi nō poteſt. Nam quæ breues aut lōgæ sunt, natura sua cognoscūtur, quæ uerò ancipites, uel Poëtarū exēplis, uel analogia aliqua æstimandæ erūt ideò ab earum tractatione supersedemus. Quæritur tamen, Vtrùm in hoc nomine, Academia, itē in Maria, & Lucia, uocalis ante uocalem sit longa an breuis? Respondeo in Academia breuē esse, habet enim. I. simplex tantùm in penultima. Claudianus, *In latium spretis Academia migret Athenis.* Sidonius. *Obruet & quanquā totis Academia sectis.* Quam quantitatem sequuntur omnia nomina Græca finita in. A. præcedente. I. simplici, ut Philosophia, Astrologia, Theologia, Cosmographia, Orthographia, Naumachia & sic de similibus, quæ omnia penultima correpta efferuntur. Ciceronis uerò libert⁹ Laurea in descriptione uillæ, quā ille Athenarum exēplo Academiam uoca-

rat, produxit. Atque Academiæ celebratam nomine uillam. Maria uerò & Lucia in carmine penultima correpta poni debent, cæterùm in prosa, ne à communi doctorum hominum consuetudine recedamus, producentur. Prudentius, Nec mea post Mariā potis est perstringere iura. Sedulius, Quis fuit ille nitor Mariæ, cùm Christus ab aluo. Idem tamen semel produxit, in quo imitandus non est. Angelus intactæ cecinit mandata Mariæ. Idē censendum est de hoc nomine Lucia. Sidonius, Prìsco Lucia quem dat è senatu. Carmen est Phaleuticum, secundus pes Dactylus est, & in Lucia corripitur penultima. De uocali ante uocalem hæc sufficiant.

E. De. Præ, Se Di, Compones non breuiabis.
Sed breuiant, si vocalis subit, atque dirertus.

Hæc est quarta regula quantitatis, in qua agitur de præpositionibus in compositione. Sensus est, Omnes has præpositiones in cōpositione produci. E, De. Præ, Se, Di, Sed percurramus oportet singulas præpositiones, in quibus multa annotatione digna reperiemus.

E

E. semper cōponitur cū dictione incepta à cōsonāti & semper producitur, ut educo. Vergil. 1. AEneid. Educūt fœtus, aut cùm liquētia mella. Idē censendum est in euerto, eripio, euolo, & similibus.

De

De, si componatur cum dictione incepta à consonanti producitur, ut demitto, Horatius. 1. Epist.

16. Epistola, In triuijs fixum cùm se demittit ob assem. Idem iudicium sit in detraho, descro, depono, & reliquis. Si uerò componatur cum dictione à uocali incipienti frequentiùs breuiatur, ut in dehinc. Horatius. 1. Serm. Saty. 3. Nominaq; inuenere. Dehinc absistere bello. Idem iudicandum est in deamo, deosculor, dehisco, deunx, & alijs id genus Aliquando licet raró, manet longa. Ennius annalium. 13. Annibal audaci dum pectore dehortatur. Aliquando expungitur per Episynalœphā. Vergilius. 1. AEneid. Eurum ad se, Zephyrumq; uocat, dehinc talia fatur. Aliquando coalescit per Synæresim, ut in deerit. Vergil. 7. AEneid. Diuitis uber agri, Troiçue Opulentia deerit.

Præ.

Præ, etiam cùm componitur cū dictionibus incipientibus à consonanti, longa est Diphthongo, ut in prefero. Vergil. Ecloga. 3. dum fouet, ac ne me sibi præferat illa ueretur. Cæterùm si componatur cum dictione à uocali incipienti frequentiùs breuis est. Vt in præuro Vergil. 7. AEneid. Stipitibus duris agitur, sudibusúe preustis. Itē in præacutus. Ouidius. 7. metamorpho Quos ubi uiderunt præacutæ cuspidis hastas. Aliquando licet raró, manet longa Papinius. 6. Thebaid. Præmia, cum uacuus domino præiret Arion.

Se.

Se, etiā lōga est, cùm cōponitur cū dictione, quæ habet initiū à cōsonanti, ut separo. Ouid. 1. Metamorph. Separat Aonios Actæis Phocis ab aruis

Verùm si componatur cum dictione incepta à uocali frequentiùs breuis est. Vergil. in carmine cui titulus, Est & nõ, Alterutro pariter nonnunquã, sæpe seorsis. Aliquando apud Lucretium expungitur per Episynalœphã, aut per Synæresim cum sequenti uocali conglutinatur. lib. 2. Est ratio secernundi, seorsumq́; uidendi.

Di.

Di, *cum dictione incepta à consonanti componitur semper, & longa est, ut in diripio. vergil. 1. Æneid. Tergora diripiunt costis, & uiscera nudant Excipiuntur dirimo, & disertus, in quibus, di, breuis est. Ouid. 1. Metamorph. Hanc Deus & melior litem natura diremit Horat. 1. Episto. 5. Epistola. Fœcundi calices quem non fecêre disertum? Hoc tantummodò in participio intelligi debet, nam in reliquis temporibus longa est, cùm duplex, ss. sequatur. Lucretius. lib. 1. dißerere incipiam, & rerum primordia pandam. Sunt tamen multi qui teneant, dirimo, & disertus, a dis, & nõ a, di, compositas esse dictiones, & in dirimo, S, mutari in, R, & in disertus exteri alterum. S. quorum sententiæ ego adhærèo. In dictionibus autem Græcis, Vt in Dilemma, Digamma, aßerunt Grammatici, di, breuiari, uerùm non succurrit autoritas.*

Dubitationes.

Quæritur *quid de reliquarum præpositionum quantitate dicendum sit in compositione? Respondeo, præpositiones omnes eiusdem esse quantitatis in compositione, cuius in appositione, Sed inquiri*

quiramus, quam quantitatem habeant in appositione, ut earum quantitatem deprehendere in compositione facilè poßimus. Distinguo, *aut præpositio est monosyllaba, aut polysyllaba, si monosyllaba, aut terminatur in uocali, aut in consonanti, si in uocali, omnis talis præpositio lõga est. ut,* De, Pro. A. E. Vergil. *Ecloga.* 1. De *cœlo tactas* me*mini prædicere quercus.* Idem. Ecloga. 5 Pro *molli uiola, pro purpureo Narcisso.* Iuuenalis Saty. 4. *Cæcus adulator dirusq; à ponte satelles.* Vergil. 1. AEneid, *Vix è conspectu Siculæ telluris in altum. Si uerò terminetur in consonanti simplici, omnis ea præpositio breuis est, nisi altera consonanti impediatur, ut,* Ab, Ob, Sub, Ad, In, Per. De, Ab, Vergi. 1. AEneid. *Arma uirumq; cano, Troiæ qui primus ab oris.* De, Ob, Idem. 1. AEneid. *Vi superûm, sæuæ memorem Iunonis ob irã.* De, Sub, Idem. 8. AEneid. *Arma sub aduersa posuit radiantia quercu.* De, ad, *Horatius primo* Episto. *Epistola prima. Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.* De, In, Vergil. *prima Ecloga,* N*os patriam fugimus, tu Tityre lentus in umbra* De, Per, Vergilius *quarto* AEneid, *Alloquere, & celeres defer mea dicta per auras. Si terminetur in consonanti duplici, longa erit positione, ut trans, ex.*

Si uerò præpositio sit polysyllaba, aut terminatur in uocali, aut consonanti, si in uocali, aut in A. aut in E. Si in. A. longa est, ut cõtra, ultra, citra. Vergilius *primo Æneidos.* AEolus *hæc con*-

trà, tuus ô Regina quid optes. Horatius primo Sermo. Satyra prima, *Quos ultra citraq; nequit cõsistere rectum.* Si in, E, breuis est, ut ante, ponè. Vergilius quarto AEneid. *Ante pudor, quàm te uiolem, aut tua iura resoluam.* Idem secundo AEneid. *Ponè subit coniux, ferimur per opaca locorum.* Si uerò terminetur in consonanti, breuis est, ut inter, circiter, tenus. Horatius primo Episto. Epistola quarta, *Inter spem curamq;, timores inter & iras.* Idem eodem libro Epistola septima. *Clarus, ab officijs octauam circiter horam.* Vergilius. 2. AEneid. *Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensem.* Habebunt igitur eandem quantitatem in compositione, quam in appositione, nisi aut duabus consonantibus, aut duabus uocalibus, aut alia quauis regula impediantur.

Secunda dubitatio.

Dubitatur secundò, Vtrùm in equidem, item in egregius prima syllaba longa sit an breuis? Respondeo, coniunctionem equidem, si sit composita, non componi ab, E, sed ab ego, & quidem. Cæterũ siue sit composita, siue simplex, ut Priscianus lib. 17. arbitratur, primam syllabam corripit. Vergilius prima Ecloga, *Non equidem inuideo, miror magis, undiq; totis.* In egregius, E, primo loco positum longum est, est enim dictio composita ab, E, & grex. gregis. Vergilius quarto AEneidos. *Egregiam uerò laudem, & spolia ampla refertis.* In hac tamen uoce duo peccata

com-

commisit Prudentius libro Cathemerinon, in hymno ad incensum Cerei Paschalis, Quem petram loquitur doctor egregius. Carmen est Asclepiadeũ constans Spondeo, duobus Choriambis, & Pyrrhichio. Alterum est, quòd, E, corripuit. Alterum quòd, gre, produxit, cùm breue sit. Tu utranq; licentiam uitabis.

Tertia dubitatio.

Vtrùm in securus, securis, seuerus, se, producatur, an corripiatur Respondeo, in securus produci, quia componitur, à, se, & cura, quasi scorsum à cura. Persius. Saty. 3. Securus quò pes ferat, atque ex tempore uiuis. In securis corripitur, quia dictio composita non est, sed deriuata à secando. Horatius. 1. Sermo. Saty. 1. Opprimeret, metuebat, At hunc liberta securi. In seuerus corripitur etiam, quia non à se, sed à secus, quod secus uerum, hoc est, iuxta uerum sit, siue à, sequendo, quòd uerum sequatur. Vergilius. 8. AEneidos. Romulidis, Tatioq; seni, Curibusq; seueris.

Tenditur, A, nostrũ, sed Græcis, A, breuiatur?

Sensus est, Quòd. A. præpositio Latina in compositione producitur, ut amens, auius. Vergi quarto AEneid. Isq; amens animi, & rumore accensus amaro. Idem secundo Georgicorum, Auia tum resonant auibus uirgulta canoris. Cæterùm. A particula Græca priuatiua breuiatur, ut adyta. Vergil. secundo AEneid. Mittimus, isq; adytis hæc tristia dicta reportat.

Dubitatio.

Dubitatur, Vtrùm in dictionibus, apes, auis, apella, aplustre. A. breue sit, an longum? Respondeo, in omnibus breue eße, quia non ab. A. præpositione Latina, sed ab. A. particula Græca priuatiua compositæ sunt. Itaq; quando. A. longum inueneris in compositione, intelliges præpositionē Latinam eße, quando uerò breue, facili colliges coniectura particulam esse Græcam, quæ priuare solet. De, apes, Vergil. 1. AEneid. Qualis apes æstate noua per florea rura. De, auis, Horat. 1. Epist. 3. Epistola. Grex auium plumas, moueat cornicula risum. De apella. Horat. 1. Sermo. Saty. 5. Persuadere cupit, credat Iudæus apella. In Aplustre uerò tum breuis, tum etiam longa reperitur, quia sequitur muta cum liquida. Breuis est apud Ciceronem in Arato. Nauibus assumptis flui tātia quærere aplustra. Longa est apud Lucanum 3. Pharsaliæ. Alter, At hi tortum ualidis aplustre lacertis. Si uerò obijcias etiam. A. breuiari in aperio. Vergil 1. Georgi. Candidus auratis aperit cùm cornibus annum. Respondeo, non ab. A. præpositione, sed ab, Ad, compositum eße, & D. in compositione exteri Euphoniæ gratia, quemadmodum in operio, & omitto exteritur. B.

Re, breuiat semper, nisi duplex consona subsit.

Sensus est quòd Re in cōpositione semper est breuis, nisi sequantur duæ consonantes aut una earum duarum habens ut reuerto. Horat. 1. Epist. 15.

Epistola,

Epistola. Pinguis ut inde domum possim phæaxq; reuerti. Dixi nisi sequantur duæ consonantes, nã tunc longa erit ut in Respondeo. Idem eodem lib. 1. Episto. respondit, referam, quia me uestigia terrent. Dixi, nisi sequatur una consonãs habens uim duarum, propter hoc uerbum reijcio, in quo, Re, longum est, quando sequitur duplex, ij, ut latissimè à nobis disputatum est in dubitationibus de Iota.

Exceptiones regulæ.

Sit prima exceptio, Excipitur hoc uerbum refert, quando significat idem quod interest, uel utile siue necesse est: tũc enim Re, producitur. Verg. secundo Georgico. Est numerus, neque enim numero comprendere refert. In hac eadem significatione affirmat Polus breuiari aliquando apud Lucretium lib. 4. Vsque adeò magni referunt studium atque uoluntas. Sed deceptus est, nam nõ referunt, sed refert legendum est, in hunc modum, Vsqueadeò magni refert studium, atque uolũtas sic enim carmẽ corrigit Ioãnes Baptista Pius Lucretij cõmmentator: quam lectionem sequens uersus confirmat, Et quibus in rebus consuerint esse operati. Et tunc non à, Re, præpositione, sed à, Res, componitur. Cæterùm si significet hoc uerbũ narrare, uel repræsentare, tunc, Re, breuis est. Verg. 2. AEneid. Cui Pyrrhus, referes ergo hæc & nuncius ibis. Idẽ quarto AEneid. Luderet AEneas, qui te tantùm ore referret.

Secunda exceptio.

Excipiuntur hæc duo nomina, reliquiæ, & religio, quorum alterum à relinquendo, alterum à religãdo dicitur, quæ in carmine semper producta reperiuntur quia duplici, ll, à poëtis contra suæ originis naturã scribuntur. Vergil. 1. AEneid. Troas relliquias Danaum, atque immitis Achilli. Idem. 2. AEneid. Relligione patrum multos seruata per annos.

Tertia exceptio.

Excipiuntur hæc tria præterita, retuli, repuli, reperi, in quibus solent poëtæ consonantem geminare, & Re, præpositionem quæ in illis breuis erat, producere. Horat. 2. Episto. I. Epistola. Rettulit acceptos, regale numisma, philippos. Verg. 7. AEneidos. Reppulit, & geminos erexit crinibus angues. Ausonius in Epigrammatis. At qui cõdiderat, postquam non repperit aurum. In aliis etiam quibusdam eandem præpositionem pari consonantium geminatione productam inuenies, ut in reficit, reducit, recidit. Lucretius. I. li. Refficit, æterno deuictus uulnere amoris. Idem eodem lib. Redducit Venus, aut redductum Dædala tellus. Idem eodem libro, At neque reccidere ad nihilum res posse, neque autem. Hæc carmina, quæ à Iacobo Micyllo, Despauterio, Quintiano adducũtur, ego in hunc modum emendata inueni, in primo pro refficit, reijcit, in ultimo pro recidere, cedere iam In hunc modum. At neque cedere iam ad nihilum res posse, neque autem. Sed tanta est poëtarum licentia, ut literam aliquando addant, aliquando de

trahant, pro ut ratio carminis exigere uideatur. Id tamen nos rarò ad imitationem nobis ipsis pro ponemus.

Sed, pro, componens debes producere sæpe.

Sensus est, Pro, in compositione sæpißimè pro duci, ut promitto, protendo. Horat. 1. Epist. 7. Epi stola. promittit, persuadet uti mercetur agellum. Verg. 11. AEneid. protendun tlongè dextris, & spicula uibrant. Hęc tame regula intelligi debet, duabus legibus seruatis. Sit prior, ut, Pro, compo natur cum dictione incepta à consonanti, nam si in cipiatur à uocali, Pro, breuis est, ut in prohibeo. Horatius in arte poëtica. Concubitu prohibere uago, dare iura maritis. Item in proauus, Idem eo dem opere. At nostri proaui Plautinos & nume- ros, &. Apud Lucretium tamen reperitur etiam in probibeo, Pro, longa. 1. lib. Nam siue est aliquid, quod prohibeat, faciatq;. Sit posterior lex, ut, pro, componatur cum dictione Latina, nam si cum Græ ca fiat compositio, pro, breuis erit, ut propõtis. Ouid. 4. de ponto, Eleg. 9. Misit in has si quos lõ ga propontis aquas. Item in Prometheus. Verg. 6. Ecloga, Caucaseasq; refert uolucres, furtumq; promethei. In propino, pro, lõga, & breuis reperi tur. Longa est apud Mart li 12. Hoc quoq; nõ ni hil est, quod propinabis in istis. Breuis est apud eũ dem lib. 6. Nemo propinabit Calliodore tibi.

Exceptio.

Excipiuntur plurima, in quibus, pro, breuiatur proficiscor, profanus, profiteor, profor, profun

do,

do, profundus, profugus, profugio, procella, procuro, profestus, propero, pronepos, Propertius, proneptis. Quæ otiosum est autoritatibus confirmare, tum quia cuilibet Poëtarum libros euoluenti obuiæ sunt, tum etiam, ne longam exẽplorum telam texere uideamur. Illud tamen notare nõ pigebit, quasdam uoces ex his à Pro, quasdam à procul eße compositas.

Dubitationes.

Sit prima dubitatio, Vtrùm his dictionibus exceptis sint aliæ addendæ, in quibus Pro, breuis sit? Respondeo debere etiam illas addi, profectò, proteruus, procus, & si quæ aliæ apud Poëtas reperiantur. Horat. in arte Poëtica, Partes in bellum mißi ducis, ille profectò. Idem eodem opere, Intererit Satyris paulùm pudibunda proteruis. Ouid. in Epistola Penelopes, Turba, ruunt in me luxuriosa, proci.

Secunda dubitatio.

Vtrùm in dictionibus ab Antonio exceptis, Pro semper sit breuis? Respondeo ex sententia eiusdẽ Antonij in commentarijs, in tribus uerbis, Pro, dubiam siue indifferentem esse, proficiscor, profundo, procuro. In proficiscor, Pro, lõga est apud Iuuenalem. Saty. 6. Profectura domo sicula non mitior aula. Breuis est apud Verg. 8. AEneid. Arcades his oris, genus à Pallante profectum. In profundo, pro longa est apud Catullum, Has postquã mœsto profudit pectore uoces. Breuis est apud Ouidiũ in Epistola Canaces, Ipsa nihil præter la

chrymas pudibunda profudi. In procuro. Pro longa est apud Verg. 9. AEneid. Procurate uiri, & pugnam sperate parati. Breuis est apud Tibullũ lib. 1. Elegia. 5. Ipse procuraui, ne posset sæua nocere. His addamus hæc duo uerba propello & propago, in quibus apud Lucretium, Pro, indifferens reperitur. Longa est in propello. lib. 4. Atque aliũ prę se propellens aëra uoluit. Breuis est eodem libro, Est satis, à tergo quæ prouehat, atque propellat. In propago longa est. 1. lib. Propagare genus posset, uitamq́; tueri. Breuis est eodem lib. Nec ratione fluunt alia, stragemq́; propagant. Nomen uerò propago, inis, utroq; modo ponitur, sed cum certa differentia. Nam cùm uitem, quæ propagatur, significat, producitur. Vergil, 2. Georgi. Syluarumq; aliæ pressos propaginis arcus. Cùm autem progeniem, corripitur. Idem. 6. AEneid. Esse sinent: nimiùm uobis Romana propago.

Tertia dubitatio.

Quidquid hucusque præceptum est intelligi debet de prępositionibus integris, quæ habere solent eandem quantitatem in compositione, quam in appositione. Est dubium, quam quantitatem habeant præpositiones in cõpositione, si fortè corrumpantur? Vt id meliùs percipi poßit, notare oportet, præpositiones tribus modis posse corrumpi. Primo. cùm ultima consonans præpositionis corrumpitur in literam incœptiuam uerbi, cum quo componitur. Vt accipio, afficio. Secundo, cùm ultima conso

consonans præpositionis mutatur in aliam consonantem, non tamen in literam uerbi inceptiuam, ut compono. Tertiò, cùm præpositio aliquam con sonãtem amittit ut. Con cùm cõponitur cũ uerbis à uocali inceptis, ut cogo, coëo, coalesco. Satisfaciamus modò propositæ questioni. Si præpositio primo modo corrumpatur, erit longa positione, ut accipio, efficio, pellicio. Si corrumpatur secundo modo, erit etiam longa positione, quando uerbum incipit à consonanti, ut compono. Si uerò incipiat à uocali, erit breuis, ut in comedo quod à Con & edo componitur. Horat. 1. Epist. 7. Epistola, ut libet, hęc porcis hodie comedenda relinques. Si corrumpatur tertio modo, ea corruptio in his tribus uerbis reperitur, cogo, coëo, coalesco & similibus: & in cogo in temporibus à præsenti formatis longa est, in pręterito uerò, & supino, & temporibus inde formatis breuis est. Verg. Ecloga. 3. Tityre coge pecus, Tu post carecta latebas. Idem 1. Aeneid. Carmen, & egressus syluis uicina coëgi. Lucanus. 1. lib. At postquam bello leges siluëre coactę. in coëo, coalesco, cohæreo, & reliquis id genus, breuis est, quia est uocalis ante uocalem Hęc de præpositionibus dicta sufficiant.

Compositum nomen si finit parte priori,
In, iota, aut Omicron, semper breuiabit easdem.

Hęc est quinta regula quantitatis, in qua agitur de dictionibus compositis, siue ea compositio fiat

fiat cum nomine, ut omnipotens, armiger, causidicus, fatidicus: siue cum pronomine ut huiuscemodi: siue cum uerbo, ut calcfacio, frigefacio siue cũ participio, ut doctiloquus: siue cum pręposítione, ut antefero, antepono: siue cũ aduerbio, ut biremis bicornis: siue cum coniunctione, ut nequeo nefas nefastus. Sed pręcipuè intelligitur regula de dictionibus cũ nomine compositis. Sensus est. Quòd omnes dictiones compositę terminantes priorem partem compositionis in. i. aut in Omicron breuiant illud. i. aut. O. Hæc regula secatur in duo membra, prius agit de. i. & complectitur tam dictiones Latinas quàm Græcas. posterius agit de Omicron & complectitur tantùm dictiones Græcas. Examinemus prius membrum, cuius sensus est. Omnis dictio siue Latina siue Græca terminans priorem partem compositionis in. i. corripitur, ut omnipotens, armiger, Archigenes, Antitheton Verg. 2. Aeneid. Iuppiter omnipotens precibus si flecteris ullis. idem eodẽ li. Armiger Automedon unà omnis Syria pubes. Iuuen. Saty. 6. Aduocat Archigenen, onerosaq; pallia iactat. Persius Saty. 1. Librat in Antithetis, doctus posuisse figuras. Hęc pars regulæ intelligitur de dictionibus perpetuò compositis. hoc est, quæ non alijs casibus. i. habent, alijs uerò aliam uocalem ex declinatione assumunt: in quibus omnibus corripitur eadem illa uocalis, ut in fatidicus, causidicus, nidifico, sexquipes, biremis, bipennis, tricuspis, & his similibus, quæ. i. semper retinent: at uerò si

in

in certis casibus I. habeant, in cæteris uerò aliam uocalem assumant, declinationis analogiam sequũtur, producentq; priorem partem, ut qualicunq;, unicuique, quanticunque, quantiuis, plerique. Cõfirmemus id uno aut altero exemplo. Manilius. li. 2. Omne quidem signum sub qualicunque figura. Cicero in arato. Virgine erunt pluuiæ, plerique in nube fragores. Propertius, Vnicuique dedit uitium natura creato. In prima regione Spondeus est.

Exceptiones regulæ.

Patitur hæc regula exceptiones aliquot. Sit prima. Excipitur hoc nomen tibicen quod à tibia factum est, quasi tibiicen, in quo. I. lõgum est, quia duæ illæ uocales breues cõtractæ sunt in unam lõgam. Horatius in Arte poëtica, Tibicen, traxitq; usque per pulpita uestem. Non est tamen eadem ratio in reliquis compositis cum cano, in quibus I. breuis est, ut in cornicen, tubicen, lyricen, fidicẽ Iuuenalis Saty. 2. Cornicini, siue hic recto cantauerat ære. Horatius. 4. Carminum. Ode 3. Romanę fidicẽ lyræ. Versus est Glyconius cõstans Spondeo & duobus Dactylis. Alciatus in Emblematis. Neptuni tubicen, cuius pars ultima cetũ. Item etiam excipiuntur hęc duo aduerbia ubique & ibidem in quibus prior pars est longa. Vergil. 1. AEneid. Voluitur in caput, ast illam ter fluctus ibidem Idem secundo AEneidos. Horrror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.

Secunda exceptio.

Excipiuntur item omnes hę dictiones declinabiles. Meridies, bigæ, quadrigæ, auriga, biduum, triduum, uipera, Meliphyllum. Trinacria, & pronomen idem, in masculina terminatione, in quibus omnibus prior pars compositionis est longa. Corroboremus hæc omnia suis exemplis & autoritatibus. De meridies, Martialis lib. 3. Inter tepētes post meridiem buxos. Carmē est Trimetrum Choliambicū, habet in quarta regione Iābum. Ab hoc fit meridiari uerbum eâdem quantitate. Catullus Iube ad te ueniam meridiatum. Carmē est Phaleuticum, habet in quarta regione Trochæū. Ratio autem huius productionis est, quia meridies uox est facta ex medius & dies, quasi medij dies, &. D. in R. conuertitur, ac duæ illæ uocales breues in unā longam contrahūtur, De bigæ, Verg. 7. AEneid. Aurora in roseis fulgebat lutea bigis. De quadrigæ. Idem. 1. Georg. Vt cùm carceribus sese effudere quadrigę. Habent autem hæ duæ uoces. I. longū per cōtractionem, sunt enim factæ (ut uidetur) ex bijugæ & quadrijugæ. De auriga, Ouid. 2. Metam. Hic situs est Phaëton currus auriga paterni. De biduum & triduū (eadem enim utriusq; ratio est) Martia. lib. 2. Si totus tibi triduo legatur. Carmen est Phaleuticū, quod habet in tertia regione Trochęū. De uipera (quod nomē à uis & pario cōpositum est) Iuuenalis Saty. 6. Tunè duos una sæ[illegible] uipera [illegible]? De Meliphyllum. Vergil. 4. Georg. Trita [illegible] & Cerinthæ ignobile gr[illegible] [illegible] longe & Melilotū eadem est

breuis. Martia lib. 7. *Infanti Melimela dato, fatuasq; Mariscas.* Ouid. 4. Fastorum. *Pars thyma, pars rorem, pars Meliloto amant.* De Trinacria (quod à tris & acros, quod est mõs cõpositum est) Verg. 3. AEneid. *Ante & Trinacria lẽtandus remus in unda.* De idem in genere masculino. Vergil. 7. AEneid. *Idem omnes simul ardor agit, noua quærere tecta.* Cæterum si sit in genere neutro breuiatur. Horatius in Arte Poëtica. *Vt scriptor si peccat idem librarius usque.*

Tertia exceptio.

Excipiuntur etiam omnes hæ dictiones indeclinabiles, scilicet, ilicet, quotidie, pridie, postridie, in quibus prior pars est etiam longa. De scilicet (quæ uox à scire & licet composita est) Vergil. 4. AEnei. *Scilicet is superis labor est, ea cura quietos.* De ilicet (quæ ab ire & licet composita est, ut tradunt Grammatici) Vergil. 2. AEneid. *Ilicet obruimur numero, primusq; Chorœbus.* De quotidie, pridie, postridie (nam eadem est omniũ ratio) Martialis lib. 10. *Læuis dropace tu quotidiano.* Carmen est Phaleuticum, & in quarta regione habet Trochæum. Apud Catullum tamen breuis reperitur Epigrammate in Mallium, *Coniugis in culpa flagrabat quottidiana,* quo carmine duplici usus est licentia Catullus, tũ quia primã syllabam quæ breuis erat, geminatione cõsonãtis lõgã fecit tũ etiam, quia secundã syllabam, quæ lõga erat, breuem fecit. In hodie tamen undecunq; formetur breuis est. Horat. primo Epist. decima sexta Episto.

Qui dedit hoc hodie, cras si uolet, auferet, ut si.

Dubitationes regulæ

Sit prima dubitatio, An prior pars compositionis terminata in. l. *breuis sit, si post eam sequantur muta & liquida?* Respondeo, *partem illam indifferentem esse. Verùm quando breuis est, per hanc regulam breuis est, quando uerò longa, per regulam de muta & liquida. Vt in multiplex, in quo post prioris compositionis partem sequuntur muta & liquida. Breuis est apud Vergi.4. AEne. Hæc tum multiplici populos sermone replebat. Lõga apud Lucretium. 2. lib. Multiplexq́ loci spatium transcurrere eodem.*

Secunda dubitatio.

Vtrùm in dictionibus compositis cum hac particula, semis, in quibus prior pars terminatur in l. sit breuis an longa? Distinguo, aut posterior pars incipitur à uocali, aut consonanti, si à uocali, nec est longa nec breuis, sed per Episynalœpham exteritur. Verg.4. AEneid. Semianiméq́ sinu germanam amplexa fouebat. Aut per synęresim cum sequenti contrahitur, ut in semiuncia. Persius Saty.5. Hæreat in stultis breuis ut semiũcia recti. Si uerò incipiatur à consonanti, breuis est, ut in semiuir. Vergilus.12. AEneid. Semiuirĩ phrygis, & fœdare in puluere crines.

Tertia dubitatio.

Vtrùm in hoc nomine parricida siue matricida prior pars sit breuis an longa? Respondeo breuẽ esse. Horatius.3. Carminum. Ode. 29. Telego-

ni iugi parricidæ. Versus est Alcmanius Dactylicus constans duobus Dactylis & duobus Trochæis. Ausonius tamen contra rationem omnem produxit in eo uersu. Matricida Nero proprij uim pertulit ensis. Tu ea licentia non utêris.

Quarta dubitatio.

Vtrùm, siquis. siquidem ubicunq;, suorum simplicium quantitatem sequātur, an nō? Respōdeo in siquis, priorē partem longam esse quemadmodum in, si. Oui l. 1. de arte Amandi Siquis in hoc artē populo non nouit amandi, In siquidem breuiatur contra naturam simplicis. Ouid 4. Fastorum. Hoc quoq; tentemus siquidem ieiuna remansit. In ubicunq; indifferens est, quemadmodum in, ubi. Breuis est apud Horatium. 1 Epist. 3. Epistola. Indomita ceruice feros ubicunq; locorum. Lōga est apud Ouid. 7. Metam. Seruor ubicunq; est, uni mea gaudia seruo. Hæc satis sint de priori parte regulæ.

Posterius membrum regulæ.

Examinemus iā posterius membrum regulæ, cuius sensus est. Omnis dictio Græca terminans priorem partem cōpositionis in, Omicron, corripitur, ut sarcophagus, Democritus, Demophoō. Iuuenalis Saty. 10. Sarcophago cōtentus erit, mors sola fatetur. Horat. 2. Epist. 1. Epistola. Si foret in terris rideret Democritus seu. Ouid. in Epist. Phyllidis Hospita, demophoō, tua te Rhodopeia Phyllis Et fermè pleræq; uoces Græcæ compositæ in quibus prior pars terminatur in, O, litera, habent, Omicron, & non, Omega, paucissimæ sunt dictio

nes quæ in, Omega, terminent priorem partem compositionis, quam producere solet. Sunt autem illæ Geometra, Geomorus, Geopines, Lagopus, Gelopus, Leophorus, Neochorus & similes, quarum quantitas ex scriptura nota est.

Dubitationes.

Duæ sunt dubitationes circa hoc posterius membrum. Sit prior, Vtrùm reperiatur dictio aliqua Latina quæ in priore parte cõpositionis terminetur in Omicron? R*espondeo, paucißimas esse, nam de dictionibus Græcis potissimùm traditur regula. Sunt autem illæ, quoq;. retrouerto, cõtrouerto, introduco, quandoq; & similes. Quoq; quando est coniunctio breuiat priorē syllabā.* Vergil. 7. Æ*neid. Tu quoq; littoribus nostris Æneia nutrix.* Si *uerò sit nomen producitur.* Horatius. 1 *Episto.* 18. *Epistola. Quid de quoq; uiro, & cui dicas sæpe uideto.* R*etrouerto, & introduco (quæ à retro & intro cõponuntur) contra naturam simplicium producuntur, nā in simplicibus.* O*.indifferēs est.* Ouidius. 4. Metamor. *Ipse retrouersus squalentia protulit ora.* Lucretius *lib.* 3. *Sic animas introduxerunt sensibus auctas. Quarum dictionum proportionem sequitur, quādoq;, nam cùm in quando.* O*. sit indifferens in quandoq;, tamen producitur, neque usquam in quādoq;, quemadmodum neque in retrouerto, & introduco, illud.* O. *breue reperire potui* Horat. *in* Arte P*oetica, Indignor, quandoq; bonus dormitat Homerus. In controuerto tamen & cõtrouersia corripitur.* Sidonius, De

clamatio controuersiarum. Carmen est Phaleuticum

Posterior dubitatio de compositis in, A, E, V. terminatis.

Nebrissensis in hac regula tantùm mentionem fecit dictionum compositarum desinẽtium in priore parte cõpositionis in I. uel. O. quare examinemus oportet, quam quantitatem habeant reliquæ dictiones terminantes priorem partem compositionis in. A. E. V. Respondeo, seruari in his omnibus simplicium quantitatem. Sed id inuestigemus oportet, quęnam quantitas seruari soleat in simplicibus. Si prior pars terminetur in. A. aut est indeclinabilis aut declinabilis: si indeclinabilis, longa est, ut contradico. Si declinabilis, aut est in nominatiuo, aut in ablatiuo, si in nominatiuo breuis est, ut eadem. Vergil. 1. AEneid. Nunc eadem fortuna uiros tot casibus actos. Si in ablatiuo, longa est, ut eâdẽ. Horatius in Arte Poëtica. Ridetur, chorda qui semper oberrat eâdem. Hinc excipitur malo mauis (quod à magis & uolo compositum est) & in magis uocalis. A. breuis est, in malo longa. Martial. libro quinto. Sit cisterna mihi, quàm uinea, malo Rauennæ.

Si prior pars compositionis terminetur in. E. aut est uerbũ, aut aduerbiũ, aut nomen. Si sit uerbũ indifferẽs est, ut in liquefacio, tepefacio, calefacio frigefacio, & similibus. In liquefacio breuis est apud Vergilium libro nono AEneid. Et media aduersi liquefacto tempora plumbo. Longa est apud

Silium Italicum libro primo. Ossa liquefactis fumarunt turbida neruis. In tepefacio, breuis est apud Horatium secundo sermo Saty. 3. in matris iugulo ferrum tepefecit acutum. Longa est apud Catullum, Alta tepefacient permixta flumina cæde. Idem sit iudicium de reliquis. Huius autem uariationis ratio est (teste Quintiano) quia uerba, à quibus componuntur, modò erant tertię, modò secundæ coniugationis apud antiquos, & ita pro secunda persona imperatiui uariant quantitatem nam in uerbis secundæ coniugationis, imperatiui secunda longa est, in uerbis tertię, breuis. Si hæc ratio non placuerit, confugito ad Poëtarum usum Si uerò prior pars fuerit aduerbium, breuis est, ut nefas, nefastus, nequeo, Iuuenalis Saty. 13. Credebant hoc grande nefas, & morte piandum. Ouidius 1. Fastorum, Ille nefastus erit, per quem tria uerba silentur. Horatius secundo Sermo. Satyra quinta. Quam nequiere proci recto depellere cursu. Item in benefacio, & malefacio. Excipitur nequicquam pro frustrà positum, quod habet. E. longum, Vergilius primo Georgicorum. Nequicquam pingues paleæ teret area culmos. Si fuerit nomen produci solet, Ouidius in Epistola Hypsipyles, Barbara narratur uenisse uenefica tecum.

Si prior pars compositionis terminetur in, V, breuis est, ut in troiugena, graiugena, quadrupes, Vergil. tertio AEneidos. Troiugena interpres diuûm, qui numina Phœbi. Idem eodem libro.

Graiugenumq; domos, suspectaq; linquimus arua. Idem eodem libro. *Quadrupedes, & frena iugo concordia ferre.* De dictionibus compositis hæc dixisse satis sit.

Omnia præterita profer disyllaba longa.

Hæc est sexta regula quantitatis, in qua agitur de præteritis, quæ cùm duplicia sint, aut disyllaba, aut polysyllaba, præsens regula agit de disyllabis, sequens uerò de polysyllabis disputabit. Sensus est, Omne præteritum disyllabum producit priorem, ut ueni, uidi, uici, feci, legi Quamuis enim prima uerbi positio breuietur nihilominus in præterito producitur, in uerbo nanque uenio prima syllaba breuis est, eadem tamen in pręterito est longa. Idem censendum est in facio, feci, lego, legi, moueo, moui, caueo, caui: nam in his omnibus prima præsentis breuiatur, cùm in præteritis producatur. Intellige regulam in præteritis uerborum omnium coniugationum, ut laui, moui, legi, ueni. Quòd si in præteritis simplicibus disyllabis prior longa est, in compositis eiusdem erit quantitatis, ut aduênit, inuidit, deuicit.

Exceptio regulæ.

Excipiuntur sex pręterita disyllaba cum suis compositis, in quibus prior syllaba corripitur, fidi, scidi, dedi, bibi, tuli, steti. Confirmemus id autoritatibus, Vergil. 9. AEneid. Diffidit, ac multa porrectum extendit arena. Cæterùm si descendat à uerbo fido pro fiduciā habere, tunc prior longa erit. Lucanus. 3. Pharsalię. Aut scidit, & medias fecit

sibi

sibi littora terras. Verg. 1. AEneid Iustitiaq; dedit gentes frænare superbas. Idem eodem libro. Pabula gustaßent Troiæ Xanthumq; bibißent. Horat. in Arte Poëtica. Multa tulit, fecitq; puer, sudauit, & alsit. Verg. 5. AEneid His magnum Alcidem contra stetit, his ego suetus. His adiungamus omnia præterita disyllaba habentia uocalem ante uocalem, in quibus prior breuis est, quemadmodum in proximis præteritis. ut rui, lui, fui.

Dubitationes regulæ

Circa regulam duæ sunt dubitationes. Sit prior, Vtrùm reperiantur præterita disyllaba (sex illis exceptis) in quibus prior sit breuis? Respondeo, minimè reperiri, sed semper in similibus præteritis priorem produci. Verùm hæc nostra sententia Poëtarum carminibus labefactari solet, quibus nos sine multa nostra opera faciemus satis. Primum carmen vergilianum est ex tertio Georgicorum, Vulneribus crebris, lauit ater corpora sanguis. Idem tertio AEneidos. Luminis effoßi fluidum lauit inde cruorem, in quibus in præterito, lauit disyllabo prior breuis est. Respondeo. Vergilium usum fuisse uerbo antiquo tertiæ coniugationis, & non esse præteritum, sed præsens a uerbo lauo. is. Secundum carmen est Ouidij ex Epistola Didonis ad AEneam. Quod tibi donaui perfide, littus emi. ubi in præterito emi prior breuis est. Respondeo legendum esse emo, præsentis temporis quæ litera magis sensui congruere uidetur, quàm si de præterito loqueretur. Depingit enim

ibi Dido ueluti imaginem quandam suarum infelicitatum. quæ licet de præteritis esset, tamen eleganter exprimitur per præsens, ut res nunc geri uideantur. Tertium carmen est Catulli ex Epigrammate ad Ortalum, Non ita me diui (uera gemunt) iuuerint. Vbi in iuuerint, (quod à iuui descendit) prima syllaba breuis est. Respondeo, legendam esse, iūrint, pro iuuerint per Syncopen, quanuis huiusmodi Syncopes ratio duriuscula sit, & tunc prima syllaba per regulam uocalis ante uocalem probanda est.

Posterior dubitatio.

Posterior dubitatio sit de reliquis præteritis, quæ nec dissyllaba sunt, nec geminata (nam de his paulò inferius) quam quantitatem sortiātur? nam de his si bene rem perpendamus, nullam Antonius mentionem fecit. Vt id apertius præcipere possimus, distinguamus necesse est. Aut uerbum est primæ, aut secundæ, aut tertiæ, aut quartæ coniugationis. Si primę, format ex regula præteritum in, aui, & penultima in his omnibus longa est. ut in amaui, donaui, per regulam incrementi uerborum. Acrescens uerbum, &c. Reliqua omnia præterita quæ non exeunt in, aui, Aut reducuntur ad regulam duarum uocalium, ut cubui, sonui, domui, Aut ad præterita dissyllaba, ut iuui, steti, dedi.

Si uerbum sit secundæ coniugationis format præteritum in, ui, diuisas, & probari debet per regulam uocalium, ut monui, docui, habui. Quòd si aliter formet, reducetur ad regulas superiores,

res, siue duarum cõsonantium, siue unius habentis uim duarum, siue duarum syllabarum ut arsi, frixi, caui: nam de his, quæ primam præteriti geminare solent, ut momordi, totondi, sequens regula disputabit.

Si uerbum sit tertiæ, uariè format præterita, quæ si uolueris percurrere, inuenies etiam ad regulas superiores duarum consonantium duarum uocalium, aut ad præterita dissyllaba uocari, aut ad uerborum incrementa, ut mersi, metui, feci, petiui. Geminata peculiarem habent regulam.

Si postremò uerbum sit quartæ coniugationis format præteritum in, ui, unam syllabam, & penultima producitur, per regulam I. tibi producunt, &c. ut audiui, nutriui. Si uerò aliter exeat, eius quantitas per regulas duarum consonantium, duarum uocalium, duarum syllabarũ probabitur, ut sanxi, salui, ueni. Et sic manifesta est preteritorum omnium quantitas.

Quòd si præteriti geminetur syllaba prima.
Vtraq; corripitur, nisi duplex consona tardet.

In hac regula agitur de præteritis geminatis, cuius sensus est, Omne præteritum, cuius prima syllaba geminatur, eandem primam, & item secundam corripit, nisi positione secunda impediatur, ut peperi, didici & similia, Tibullus. lib. 4. Elegia. 12. Hoc peperit misero garrula lingua malum. Horatius in Arte Poëtica, Qui didicit patriæ quid debeat, & quid amicis. Dixi nisi positione secunda impediatur, quia si post secundam

syllabam sequantur duę consonantes erit longa, ut momordi, totondi, cucurri, pependi.

Exceptio regulæ.

Excipiuntur *cecidi à cędo & pepedi à pedo in quibus secunda syllaba lõga est, quemadmodum & in his in quibus post secundam syllabam sequuntur duæ consonantes. Iuuenalis Saty. 3. Ebrius ac petulans, qui nullum fortè cecidit.* Horatius *1. Sermo. Sat 8. Nam displosa sonat quantum uesica pepedi Illud tamen aduertendum est in cecidi secundam syllabam esse longam, si ueniat à cædo uerbo actiuo, quod interficere significat, si uerò à cado uerbo neutro utraque syllaba breuis est. Verg. 3.* Georgico. *inter cunctantes cecidit moribunda ministros.*

Dubitationes circa regulam.

Sit *prima dubitatio, Vtrùm hæc prętcrita tetigi, pepuli, pepigi, cecini, cecidi, & similia hac regula comprehendantur, cùm in his prima syllaba non geminetur? Respondeo ad præterita geminata satis eße eãdem consonantem bis repeti, licet eadem uocalis non repetatur, atque ita dubium non est quin inter præterita geminata numerentur.*

Secunda dubitatio.

Vocatur secundò in quęstionem qua ratione in præteritis geminatis cognoscere poßimus secundam syllabam longam esse an breuem? Respondeo id facilè deprehendi poße hac regula. Verba geminantia primas syllabas in prętcrito mutant

primam

primam syllabam præsentis, in secundam præteriti & eãdem cum ea quantitatem seruant, etiam si uocalis in uocalem mutetur dummo lò maneat eadem consõnãs. Hinc facilè colligere poteris secundam præteriti primam esse præsentis, & eiusdem cum ea quantitatis, quod in cædo & pedo clarè de (chenditur, nam in his, quemadmodum prima syllaba longa est in præsenti, ita etiam secunda preteriti longa est Prima autem syllaba in his præteritis geminatis perpetuò breuis est, non enim est propria uerbi sed more Græcorum additur uerbo, quam ipsi reduplicationem appellant Dixi dummodò maneat eadem consonans, nam si fortè non manserit, secunda preteriti non sortiet tur eandem quantitatem cum prima præsentis, ut in pango, pepigi, pungo, pupugi, tango, tetigi, pello, pepuli, in quibus omnibus expungitur consonans, & propterea in secunda præteriti, & prima præsentis eadem quantitas non seruatur, quòd si maneret, eadem quantitas etiam maneret, cùm dicere deberemus pepingi, pupungi, tetingi, pepulli.

Tertia dubitatio.

Sit tertia dubitatio de præteritis uerborum cõpositorum, Vtrùm seruent quantitatem simplicium, an diuersam sortiantur quantitatem? Vt quęstioni satisfaciamus, notemus oportet id quod uel pueris notißimum est, in uerbis scilicet compositis primam syllabam expungi, secunda autem syllaba aut producitur, aut breuiatur secundum quantita

tem

tem secũdæ syllabę præteriti simplicis. Vnde quia in fefelli prętcrito simplici secunda est longa, in refelli præterito composito etiam erit longa. Et quia in tutudi secunda breuis est, in contudi eadem etiam est breuis. Horat. 2. lib. Episto. 1. Epistola. Speratum meritis, diram qui contudit Hydram Licet Ennius in Annalibus licentiosè satis produxerit in Hemistichio illo, Contudit crudelis hyems In uerbis uerò compositis, in quibus prima syllaba præteriti non amittitur, erit prorsus eadem quantitas in præterito composito, quæ fuerit in simplici. Vt poposci, depoposci, didici, edidici, steti, circunsteti. Verg. 2. AEneid. At me tum primùm sæuus circunstetit horror. Idem erit de alijs iudicium.

Longa supina manent dissyllaba si de priori.

Hęc est septima regula quantitatis, in qua agitur de supinis. Quę cùm in duplici sint forma, aut dissyllaba, aut polysyllaba, præsenti regula agitur de dissyllabis, sequenti uerò de polysyllabis. Sensus est, Omne supinum dissyllabum priorem syllabam producit, ut uisum, natum, lusum. verg. 2. AEnei. Visus adesse pedum sonit⁹. genitorq́; per umbram Hora. 1. Serm. Saty. 6. Audit cõtinuò, quis homo hic? aut quo patre natus? Hæc regula non tantùm de supino intelligitur, sed de his omnibus etiã, quę a supino nascuntur, qualia sunt participia præteriti, & futuri in, rus, uerbalia in, tor, trix, us, &, io, eadem enim quantitas est in motum, mot⁹, a, um, motur⁹, motor, motrix, mot⁹, us, & motio.

Exci-

Exceptio regulæ.

Excipiuntur decem supina dissyllaba, in quibus prior breuis est, illa uerò sunt quæ sequũtur, statũ datum, ratum, rutum, satum, situm, litum, citum, quitum, itum. De his omnibus sigillatim dicemus, si prius aduertas Nebrissensem in participijs, & nõ in supinis exempla posuisse, tum quia in utrisque eadem est quantitas, tum etiam quia supina in carmine locum habere non poterant, cõfugiendum igitur fuit ad participia.

Statum habet .A. indifferens, quod significare Antonius uoluit, cùm in supinis dixit, Stâtum siue statum dat sto. Breuis est apud Ouid. 1. Fastorum Musa quid à fastis non stata sacra petis. Lõga est apud Luca. 2. Pharsaliæ, Hinc acies statura ducum est, Cæsarne Senatus? In status substantiuo, & statio, prima semper est breuis, Ouid. 5. Fastorum, Hic status in cęlo multos permãsit in annos. Verg. 2. AEneid. Nunc tantùm sinus, & statio male fida carinis. Cõposita uerò quę seruant. A. in supino, producuntur. Luca. lib. 2. Constatura fides superum, ferale per urbem. Quæ uerò mutant. A in I. corripiuntur, ut præstitum, institum. Ratio autem huius uarietatis est, quia cùm in statum illud .A. sit indifferens, si maneat in compositis, semper est lõgum, si mutetur in. I semper est breue.

Datum habet. A. breue, & deriuata, ut datus, Verg. 1. AEnei. Postquam introgressi, & coram data copia fandi. Idem. 2. AEneid. Sat patriæ, Priamoq; datum. Si pergama dextra. Composita uerò

rò siue sint primæ, siue tertiæ coniugatio is penul timam semper corripiunt, ut circundatum, pessun datũ, creditum, redditum, Verg. 4. AEneid Sidoniam picto chlamydem circundata limbo. Idem. 2. AEneid. Credita res, captiq; dolis, lachrymisq; coacti.

Ratum à reor priorem corripit, Horat. 1. Episto. Epistola. 5. Spes iubet esse ratas, in prælia trudit inermẽ. Idem iudicium est in compositis, & in deriuatis, qualia sunt, irritus, & ratio. Vergil. 4. Ecloga Irrita perpetua soluent formidine terras. Horat. 1. Episto. 18. Epistolæ. Qua ratione queas traducere leniter æuum. Illud tamẽ notandum est, in uerbo irrito pro nõ ratum facere, siue rem ali quam infirmare, penultimam breuem eße, uerùm si capiatur pro concitare siue incendere penultima longa est. Horat 2. Episto 1. Epistola Irritat, mulcet falsis terroribus implet.

Rutum, priorem habet breuem, sed hoc uerbũ ruo non rutum, sed ruitum format, uerùm in com positis non ruitum sed rutum deprehenditur. Atq; ita Nebrissensis rutum dixit, non respectu simpli cis, sed habita compositorum ratione, ut obrutum dirutum Ouid. in Episto. Penelopes, Obrutus insa nis esset adulter aquis. Idem eâdem Epist. Diruta sunt aliis, uni mihi Pergama restant.

Satum priorem etiam habet breuem, Ouidius. 1. Metamorphô. Quam satus Iapeto mixtam flu uialibus undis. Idem est iudicium in omnibus inde deriuatis, satio sator, satum. Verg. 2. Georg. Opti

ma

ma uinctis satio est cùm uere rubenti. Idem 1. AEneid. Olli subridens hominum sator, atque Deorum. Idem. 1. Georg. Quiq; satis largum cœlo demittitis imbrem. Idem etiam iudicium est in compositis, insitus, consitus, in quibus penultima breuis est intellige hoc quando simplicis significationem seruant, nam si ab ea recedant, formant supinum in, ertum, & penultima est longa positione.

Situm, priorem etiam breuiat, Ouidius. 2. Metamorph. Hic situs est Phaëton currus auriga paterni. Eadem ratio est in compositis, ut de situm.

Litũ, à lino priorem corripit, Verg. 4. Georg. Ardentes auro & paribus lita corpora guttis. Idem dicendum est de compositis, ut oblitus circumlitus, Horat. 2. Episto. 1. Epistola. Diuitijsq; peregrinæ, quibus oblitus actor. Idem. 1. Episto. 10. Epistola. Riuos, & musco circũlita saxa nemusq; Cæterùm illud aduertas oportet in oblitum penultimam longam esse si descendat ab obliuiscor. Horat. 1. Episto. 11. Epistola. Oblitusq; meorum, obliuiscendus & illis.

Citum, à cieo secundæ cõiugationis penultimam corripit, Ouid. 1. de Arte amandi, Arte citæ, ueloq; rates remoq; reguntur. Verùm ut exactius ea omnia quæ ad hoc uerbum & eius composita spectãt, examinare possimus, notare oportet, duo esse uerba, quæ uidentur nescio quid similitudinis habere. Alterum est, scio, quod cum. S. in principio scribitur, quod significat alicuius rei scientiã & cogni

tionem habere, format scitum, & penultima semper est longa per regulam generalem de supinis dissyllabis. Alterum est cio, sine. S. in principio, quod format supinum citum. Et hoc uerbum aut est quartę coniugationis, aut secundę, si sit quartæ, inflectitur cio, cis, & significat conuocare, & habet priorem etiam longam. Si sit secundę, inflectitur cico, es, format supinum citum, & penultima est breuis, excipiturq; à regula generali, significat autem commouere. Composita uerò quæ componuntur cum cieo secundæ coniugationis, penultimam habent breuem. Ouid. 2. Metam. Nec fruitur somno uigilantibus excita curis. Idem dicẽdum est de percitus. Quæ uerò componuntur cum cio, quartæ coniugationis penultimam producunt Verg. 3. AEneid. Excitum ruit ad portus, & littora complent. Idem primo AEneidos. Regius accitu chari genitoris ad urbem. Valerius Flaccus libro quinto. Ipse autem tantis concita furoribus arma. Qua in parte Nebrissensis confuse satis locutus est in commentarijs, cùm præcepit in hunc modum. Composita uerò tum breuia tum producta reperiuntur, debuisset exponere, quando producta, & quando breuia reperirentur.

Quitum, à queo etiam corripit penultimã. Terentius in Hecyra, Nam cùm compressa est nata, forma in tenebris nosci non quita est. Carmen est Tetrametrum Iambicum constans octo pedibus, habet in ultima regione Iambum.

Itũ, priorem cum reliquis breuiat, Ouidius. I.

Metam. Poscebatur humus, sed itum est in uiscera terræ: sic & composita, præteritum, obitum. Verg. 8. Æneid. O mihi præteritos referat si Iuppiter annos. Idem. 10. Æneid. Morte obita quales fama est uolitare figuras. Excipitur tamen participium ambitus, a, um, quod contra naturam sui supini penultimam producit. Ouid. primo Metamorphoseos. Iussit & ambitæ circundare littora terræ. Ambitus uerò substantiuum nomen, quod significat subornationem, supini à quo descēdit quātitatem retinet. Lucanus primo lib. Ipse sui populus, lethalisq; ambitus urbi. Et licet significet circuitionem, breuiat etiam penultimam, Horatius in Arte Poëtica, Et properantis aquæ per amoenos ambitus agros.

His omnibus additur & antiquum futum, à fuo, quod ipsum in nullo usu est, reliquit tamē de se participium futurus, eâdem quantitate, Horat. in Arte Pōetica, Vtiliumq; sagax rerum & diuina futuri.

Ex, ui, præterito, ui, in, tum, faciente supinū
Præter sex tantū iā dicta, penultima longa est.

In hac regula agitur de supinis polysyllabis, cuius sensus est, Omnia supina plurium syllabarum, quæ nascuntur à præterito terminato in, ui, mutata. ui, in, tum, cuiuscunque sint cōiugationis, producunt penultimam, ut amatum, petitum, cupitū, obeditum: eadem est ratio in compositis & deriuatis. Excipiuntur tamen ab hac regula sex supina superiora, satum, situm, litum, citum, quitum itum

quæ formantur à præteritis, ui, in, tum, & tamen habent priorem breuem, quod præcedenti regula satis quamplurimis autoritatibus innotuit.

Dubitatio.

Dubitatur circa regulam, Quanam ratione reliquorum supinorum quantitas deprehendi poßit? Respondeo, eam posse facilè cognosci tribus regulis sequentibus. Prima, omnia supina habētia post uocalem penultimæ duas consonantes, erunt longa positione, ut consultum, sepultum, insertum, aut si habuerint unam quæ habeat uim duplicis, ut nexum, pexum, fluxum, flexum.

Secunda regula, Omnia supina terminata in, tum præcedente v. uocali producunt penultimā, ut solutum, uolutum, secutum, Vergil. 9 Æneid. *Lumina rara micant somno, uinoq; soluti.* Idem. 3. Georgico. *Prata mouere animum, non qui per saxa uolutus.*

Tertia regula, Omnia supina terminata in, itū, quæ formantur à preterito finito in, ui, diuisas syllabas, aut in, di, corripiunt penultimam, ut positum à posui tacitum à tacui, creditum à credidi, Horat. 1. Sermo Saty. 3. *Aut positum ante mea quia pullum in parte Catini.* Idem. 1. Episto. 17. Epistola. *Sed tacitus pasci si posset coruus, haberet.* Idem. 1 Carminum Ode. 3. *Nauis, quę tibi creditum,* Versus est Gliconius constans Spondeo & duobus Dactylis. *Verùm horum omnium innumera sunt ad manum* Poëtarum *exempla. Si fortè uelis nostram præceptionem de supinis labefactare*

 co uer

eo uersu Columellæ, Verùm ubi iam puro discrimine pectita tellus, ubi in pectita quod formatur à preterito, ui, in, tum, breuis est. I. Respondere supinum illud à preterito pectui nasci, quod ab usu iam recessit, utimurq; tantùm preterito pectiui.

Dictio composita, deriuatiuaq; simplis.
Et primogenitis equalia tempora seruat.
Sed sunt multa, quibus non seruit regula semper.
Illa tamen quæ sint, primas mediasq; require.

Hæc est octaua regula quãtitatis, in qua agitur de dictionibus compositis, & deriuatis, differt autem hæc regula ab ea, in qua disputatum est de nominibus compositis, quòd illa tantùm agit de ultima syllaba prioris partis compositionis, & ea in uocali terminata, at uerò hæc agit de omni uocali dictionis compositæ & deriuatæ. Sensus est, Tanta debet esse uocalis dictionis compositæ & deriuatæ, quanta fuit simplicis & primitiuæ. Hæc regula secatur in duo membra, priore agitur de dictionibus compositis, posteriore de dictionibus deriuatis. Examinabimus igitur nos priore loco dictiones compositas, deinde deriuatas. Sensus igitur prioris membri est, Composita sequuntur simplicium quãtitatem, & cõtrà simplicia referunt suorum compositorum quantitatem hoc est eadem syllabæ quantitas manet in dictione composita, quæ fuit in simplici. Et rursum eadem quãtitas esse in

simplici censenda est, quæ in composito illius inuenietur. Confirmemus id exemplis, in trabo prior syllaba breuis est, in retraho eadē est breuis, Ver. 5. AEneid. Nate Dea, quò fata trahūt, retrahūtq; sequamur. Item in amic' prima breuis est, in inimicus eadem etiam est breuis, Horat. 1. Episto. 18. Epistola. Discolor, infido scurræ distabit amicus. Verg. 1. AEneid. Gens inimica mihi Tyrrhenū nauigat æquor. Idem in alijs censendum est.

Dubitatio.

Quæritur, Vtrùm semper seruetur eadem quātitas in dictione composita, quæ in simplici? Distinguo, aut cōpositio fit cū præpositione, aut cū alijs partib' orationis, si cum præpositione, eādem quātitatem habebit dictio cōposita, quam simplex, nisi ea quantitas positione, aut alia regula ex præcedentibus impediatur. De qua re satis latè disputauimus in regula de pręposi tionibus. Si uerò fiat cōpositio cum alijs partib⁹ orationis, aut priores illę partes cōpositionis manent integræ aut corruptę. Si integræ, quantitas ferè primitiua seruatur, ut si quis, nequis, quicunq;, in quibus omnibus prima lōga est, quia in simplicibus erat longa. Ver. 3. AEneid. Si qua fides animum, si ueris implet Apollo. Idem in eodem, Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum. idem. 11. AEnei Hac quicunq; sacrū uiolarit uulnere corpus. idem de alijs iudicato.

Excipiuntur pauca quædam, in quibus eadem finalis syllaba cōtra naturam simplicium uel corripitur, uel producitur, qualia sunt, siquidem, ibidem

ubiq;,quandoq; & cōposita cum retrò, & intrò, quæ omnia simplicium quantitatem non seruant, ut prolixè satis probauimus in regula compositorum nominum, à qua poteris autoritates petere. His addatur nihilum, quod à ni, idest, non, & hilum re nullius pretij compositum est. Persius. 1. Saty. De nihilo nihil in nihilum nil posse reuerti.

Si uerò priores illæ partes compositionis corrumpantur, manebit eadem quantitas in his tantùm syllabis, in quibus dictio cōposita cōuenit cum simplici, ut in salutifer, simplex conuenit cum cōposito in duabus primis syllabis, & in eisdem eandem quantitatem seruat. Excipiuntur nomina cōposita cum, dico, in quibus penultima breuis est, cùm in simplici sit longa. Vt fatidicus, Ouid. 1. Metamorpho. Fatidicamq; Themin, quæ tunc oracla tenebat. Item causidicus, Iuuenalis. Saty. 10. Sanguine causidici maduerunt rostra pusilli. His adduntur composita cum nubo, ut pronubus, connubium, in quibus non seruatur eadem quãtitas, quæ in nubo, nam in nubo penultima longa est, Ouid. in Heroicis. Si qua uoles aptè nubere, nube pari. In pronubus uerò & cōnubium breuis est, Vergil. 4. AEneid. Deueniunt prima & tellus, & pronuba iuno. idem. 1. AEneid. Connubio iungam stabili, propriamq; dicabo. Aliquando etiam in connubium reperitur longa, Idem. 12. AEneid. Prodiderim, natam & connubia nostra petentem. Addatur etiam superioribus semisopitus, nam in simplici, antepenultima longa est.

Verg. 8. AEneid. Impositum cinerem, & sopitos suscitat ignes. In semisopitus uerò breuis est, Ouid 1. Amorum. Elegia. 14. Purpureo iacuit semisopita toro.

Cæterùm si posterior pars compositionis corrũpatur, & non prior, aut mutatur uocalis simplex in aliam uocalem, aut Diphthongus, si Diphthongus in quancumq; uocalem mutetur, seruabit ea uocalis eandem quantitatẽ cum Diphthongo, ut cędo occido, plaudo explodo, audio obedio, claudo recludo, de quibus in regula Diphthongorum dictum est. Si uerò uocalis simplex in simplicem uocalem matetur, manêre solet eadem quantitas in dictione composita, quæ in simplici, ut in amicus inimicus, facio perficio, capio accipio.

Excipiuntur cognitus, & agnitus, in quibus nõ seruatur simplicis quantitas, nam in notum penultima longa est, cùm sit supinum disyllabum, in compositis. O. mutatur in. I. & eadem penultima breuis est, Ouid. 6 Fastorum, Cognita sunt nullo præcipiente mihi. Iuuen. Saty 1. Agnitus accipies iubet à præcone uocari. Item excipiũtur deiero, & peiero, in quibus nõ seruatur eadẽ quantitas quæ in uerbo iuro, in quo penultimą lõga est. Verg 9. AEneid Per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat. In cõpositis uerò V. mutatur in. E & penultima breuis est. Catul. Per Cõsulatũ peierat Vatinius. Carmen est Trimetrũ Iãbicum, habetq; in. 4. regione Ia nbum. Cæterùm si composita retineant. V. simplicis, producũtur, ut periurus per

iurium

durium. Vergil. 2. Aeneid. Talibus insidijs periurijq; arte Sinonis. Idem. 4. AEneid. Laomedonteae sentis periuria gentis? Haec de compositis.

De dictionibus deriuatis.

Posterius membrũ uersatur circa dictiones deriuatas, Sensus est. Omnis syllaba in dictione deriuata tãta esse debet, quãta fuit in primitiua, quod ut maiori facilitate percipi poßit proponamus in medio regulam ex varijs fragmẽtis hinc atq; illinc collectis conflatam, quam si quis memoria tenuerit. non dubito, quin sit illi ad quantitatẽ dictionũ deriuatarum cognoscendam plurimum utilitatis allatura Sit igitur regula. Omnis dictio deriuata seruat quantitatem dictionis primitiuae, à qua proximè descendit, dummodò maneat eadẽ consonans, & positione nõ impediatur. Haec regula quatuor habet partes, quas sigillatim explicare necesse est. Est prima, Omnis dictio deriuata seruat quantitatẽ dictionis primitiuae, ut in dominor, duae primae syllabae breues sunt, quia in dominus, breues itidem sunt. Vergil. 1. AEneid. Romanos rerum dominos gentemq; togatam Idem eodẽ libro. Seruitio premet. ac uictis dominabitur Argis. Item in modulus & modulor eadem quantitas seruatur, Horat. 1. Epist. Epistola. 7. Metiri se quemq; suo modulo, ac pede, uerum est. Vergi. 1. AEneid. Ille ego, qui quõdam gracili modulatus auena.

Secunda pars regulae est, à qua proximè descendit, ut id apertius intelligamus, notare oportet tres esse fontes, à quibus dictiones deriuatae pro-

manant, tempus pręsens, præteritum supinum. A præsenti deriuātur præteritum imperfectum, futurum imperfectum indicatiui, præsens imperatiui, futurum optatiui, præsens subiunctiui. Hæc autem omnia tempora quæ à præsenti proximè descendunt, præsentis quantitatem retinent, ut in præsenti uenio, quia prima syllaba breuis est, in ueniebam, ueniam, ueni ueniam, cùm ueniā eadem breuis est. Item quia in lego prior breuis est, in legebam, legā, lege, utinam legam, cùm legam prima etiam est breuis. A præterito procedunt omnia tēpora finita in, ram, rim, ro, ssem, sse, De quibus extant uersiculi quidam. Præteritū uerbi de se dat tēpora quædam, Ram, rim, ro, ssem, sse, formabit cætera præsens, in quibus omnibus temporibus seruatur eadē quantitas, quæ in præterito, nā quæ à preterito proximè descendūt, præteriti quātitatē retinent. Vnde quia in ueni prior est lōnga, in uenerā, uenero, uenerim, uenißem, ueniſſe eadem erit lōga. A supino descendūt participia pręteriti temporis, & futuri in, rus, item nomina uerbalia in, io, us, tura, item nomina in, tor, & in, trix, & multa alia, quę diligenter obseruanda sunt, in quib' omnib' est eadem quantitas, quæ in supino, nam quę à supino proximè descendunt, supini quantitatem seruare debent. Vnde quia in supino motū prior syllaba est lōga, in motus, a, um, moturus, motio, motus, us, motor, motrix eadem etiam erit longa. Debent autem hæc omnia seruare quantitatem dictionum primitiuarum in his tantū syllabis, in quibus

cum

cum illis conueniunt.

Vnde quia amaturus conuenit cum supino ama tu, à quo nascitur, in tribus primis syllabis, in eisdem eandem cum eo seruat quantitatem. In ultimis autem syllabis dictio deriuata nõ tenetur primitiuæ quantitatem seruare, ut in amo. O. indifferens est, in amor semper breuis, idem in lego & legor contingit. Quare diligenter ubique animaduertenda Etymologia est, & unde unumquodque uerbum proximè deriuetur probè inspiciendum, nam dictio deriuata retinebit quantitatem dictionis primitiuæ, à qua proximè originem traxerit.

Tertia pars regulæ est. Dummodò maneat eadem consonans, ut in dominus dominor, modulus modulor, calamus calamitas, potis potestas. Nam in quibus consonans mutatur, in his non rarò & quantitas mutari solet, quia uocalis totam uim, omnesq; suæ quantitatis neruos accipit à consonanti, quæ sequitur, ut in moueo. O. primum breue est, Horatius. 2. Epistol. Posteriore Epistola. Verba mouere loco, quanuis inuita recedant. In mobilis, & mobilitas, quia mutatur consonans, idem O. longum est. Vergilius. 1. Georgi. Verùm ubi tempestas, & cœli mobilis humor. Idem quarto AEneidos. Mobilitate uiget, uiresq; acquirit eundo. Item in foueo. O. breuis est, Vergilius. 1. AEneidos. Si qua fata sinant, iam tum tenditq;, fouetq; In fomes autem, quia mutatur consonans, idem. O. longum est. idem eodem libro.

Nutri-

Nutrimenta dedit, rapuitq; in fomite flammam. Idem contingit in iuuenis, iunior, iuuo, iucundus, cado & casus, & in alijs quamplurimis, in quibus mutatur quantitas, quia eadem consonans non manet.

Quarta pars regulæ est, Et positione nõ impediatur. Nam si dictio primitiua habuerit simplicẽ consonantem, deriuata duplicem, nõ seruabitur in utrâq; eadem quãtitas, quia positione impeditur ut, in similis, penultima breuis est. Vergil. 1. Aeneid. *Os, humerosq; Deo similis, Nanq; ipsa decoram.* In simillimꝰ quia geminatur ll. eadem syllaba longa est. Horatius. 2. Epist. Epistola posteriore, *Vehemens & liquidus, puroq; simillimus amni.* Intellige hanc ultimam partem regulæ non tantùm de positione, sed de quacunq; alia ex regulis generalibus, ita ut hunc intellectum habeat, dummodò positione non impediatur, aut aliqua ex regulis superioribus non habeat locum.

Dubitationes circa posterius membrum regulæ.

Sit prima dubitatio, Vtrùm manente eãdem consonanti in dictione deriuata, quæ in primitiua mutata tamen uocali, maneat eadem quãtitas in utrãq;? Respõdeo in dictionibus Latinis rarò per deriuationem mutari uocalem in uocalem, & si mutetur solêre eandem quantitatem manere, ut à tego toga, in quibus licet mutetur uocalis, utrobiq; tamen breuis est. Horat. 1. Epist. 18. Epistola *Commissumq; teges, & uino tortus, & ira.* Idem codem

Idem lib. 19. Epist. Exiguaeq; togae simulet texto-re Catonem. Excipiuntur uerba frequentatiua, formata à uerbis primae coniugationis mittentib⁹ supinum in, atum, quae formantur. A. supini lon ga mutata in I. breuem, ut ab imperatu, imperito Horat. 1. Sermo Saty. 6. Olim qui magnis legio nibus imperitarint. Idem censendum est in portatu portito, minatu minitor.

Secunda dubitatio.

An mutata consonanti, manente tamen uocali, mutetur semper quantitas in dictione deriuata? Respondeo, non semper mutari quantitatem, sed manere aliquando, praesertim quando in dictione primitiua uocalis praecedens consonantem aut est naturâ longa aut naturâ breuis ut in simulacrũ à simulatum, uolucrum à uolutum aratrum ab ara tum, lauacrum à lauatum, ambulacrum ab ambula tum, uentilabrum à uentilatũ, in quib⁹ omnib⁹ mu tatur ea consonans quae fuit in dictione primitiua & tamen manet eadem quãtitas. Item in funebris à funere mutatur consonãs, & tamen uocalis sem per manet breuis. Horat. 1. Epist: 19. Epistola. Ira truces inimicitias, & funebre bellum.

Tertia dubitatio

An manente eâdem consonanti, & eâdem uoca li, maneat eadem quantitas in dictione deriuata, quae in primitiua? Respondeo, non semper eandem quantitatem manere, imò multa sunt primiti ua, in quibus uocalis aliqua est breuis, & in deri uatis est longa, ut in tego tegula, rego regula, se

deo,

deo sedes, uenio uena, rapio rapum, hum⁹ humor, iugum iugerũ, lateo laterna, lego lex, uomo uomis, & sic de alijs, quæ ex aßidua Poëtarum lectione colligenda sunt. Cõtrà alia sunt primitiua, quæ uocalem longam habent, cùm in deriuatis sit breuis, ut à dico dicax, à luceo lucerna, ab areo arista, à sopio sopor, à natu nato, à notu noto & sic de reliquis id gen⁹. His accedũt uerba finita in, rio, quæ desideratiua appellantur, & formantur ab ultimo supino, quod in. V. longum desinit, & tamen. V. in uerbo desideratiuo breue est, ut à partu parturio. Horatius in Arte Poëtica, Parturient mõtes, nascetur ridiculus mus. Ab esu esurio, Iuuenalis. Satyra septima. Esurit, intactam Paridi nisi uendat Agaue. Item à mictum micturio. Iuuenal. Sat. 6. Noctibus hic ponunt lecticas, micturiunt hic.

Quarta dubitatio.

An in nominibus patronymicis seruetur eadem quantitas, quæ in nominibus proprijs, à quibus formantur? Respondeo, aliquando eandem quantitatem seruari, aliquando non. Quod patebit ex regulis sequentibus, quibus omnium patronymicorum quantitas comprehensa est.

Sit prima regula, Omnia nomina patronymica finita in, is, aut in, as, penultimam corripiunt, quia ibi habent uocalem ante uocalem, ut Nereis, Ilias.

Secunda regula, Omnia patronymica finita in, des, quę. A. in penultima habent, eãdem corripiũt à quacunque declinatione formentur, ut AEneades, Atlantiades. Verg. lib. 7. AEne. AEneadæ possint,

sint, Italosue obsidere fines. Oui. 8. Metamorph.
Venit Atlantiades positis caducifer alis.

Tertia regula, Nomina patronymica finita in des, quæ habent in penultima I. si id simplex fuerit, corripiunt, ut AEolides, Priamides. Verg. 6. AEneid. Misenum AEolidem, quo non præstantior alter. Idem eodem lib. Atq; hic Priamidem laniatum corpore toto. Si uerò fuerit. I. ex contractione factum, idem illud producunt, ut Pelides, Atrides. Horat. 1. Epist. Epistola. 2. Inter Peliden festinat & inter Atriden. Nam hæc & similia apud Græcos per ei. diphthongum scribuntur.

Quarta regula, Patronymica finita in, ne, omnia penultimā producūt, siue uocalis. I. siue. O. Ipsū ne, præcesserit, ut Nonacrine, Acrisione. Ouid. 1. Metam. Inter Hamadriadas celeberrima Nonacrinas. Verg. 7., AEneid. Acrisionæis Danaë fundaße colonis. Hęc habui, quæ de syllabarum quantitate dicerem, quæ si cui forte nimium prolixa uidebuntur, intelligat nos non uoluiße syllabarum quātitatem intra breuißimas angustias redigere, sed ea omnia præcipere, sine quibus perfecta syllabę cognitio haberi non posset. In sequentibus summas tantùm rerum & capita persequemur.

De incremento nominum singulari.

Quia multarum dictionum quātitas per regulas præcedentes probari nō poterat, ideò necesse fuit has regulas adiecisse, quibus numerosa nominum turba comprehensa est. Et quia harum regularum intellectus uel pueris elementarijs est satis

notus,

notus, ideò nos prætermissa earum interpretatione, explicabimus in uniuersum quid sit incrementum singulare, in qua syllaba perpetuò collocetur & postremò in qua declinatione potißimùm reperiatur.

Incrementum duplex est, aut singulare aut plurale. de incremento plurali paulò post. Incrementum singulare est excessus casuum siue singulariũ siue pluralium, supra nominatiuum singularem. Explicemus huius finitionis partes. Est excessus, quia incremẽtum nihil aliud sonat quàm excessum Casuum siue singularium siue pluralium. Quia incrementum singulare non tantùm in casibus singularibus, sed in pluralibus etiam reperitur, ut in genitiuo hominis, & in datiuo & ablatiuo hominibus, item in Cæsaris & Cæsaribus. Supra nominatiuum singularem, Quia nominatiuus singularis est incrementi singularis scopus, ad quem semper oculos conijcere debemus, si deprehendere facilè uelimus, utrùm nomen habeat incrementum singulare, an non.

Collocatur autem incrementum singulare in ea syllaba, quæ ultimam recti singularis adæquat. Itaq; licet rectus ab obliquis una aut duabus syllabis uincatur, in ea tantùm syllaba incrementum singulare ponendum est, quæ æqualem numerum syllabarum cum recto singulari facit, ut in genitiuo hominis locabitur incrementum singulare in secunda syllaba, quia ea cum recto æqualitatẽ habet.

Repe-

Reperitur incrementum hoc singulare in tertia declinatione potißimùm, nam in hac nominatiuus ab obliquis numero syllabarum uinci solet Casus enim primæ declinationis nominatiuum non superant, exceptis his, qui dissolui solent à Poëtis in, ai, qui ad regulam de uocali ante uocalem reducũtur. In secunda item declinatione rectus ab obliquis non exceditur, nisi in nominibus finitis in, er, quæ cum nominibus tertię declinationis finitis etiã in, er, confunduntur, & de utrisque eadem traditur regula. In quarta & quinta declinatione nullus est casuum supra rectum excessus, qui si in quibusdam casibus fortè reperiatur, per regulam de duabus uocalibus probari debet. Reliquum est igitur in nominibus tertiæ declinationis incrementum singulare potißimùm reperiri. Nunc ea tantùm obiter annotabimus, quæ ab Antonio uel omnino prætermissa, uel suspensa manu uidentur fuisse tractata.

Ex, A, mittit, atis.

Exorditur Nebrissensis primùm à uocalibus, & quia nomina tertiæ declinationis in duabus uocalibus finita. A. O. tantùm habent incrementum, ideò de illis tantùm regulas tradit, A ut problema dogma, O, ut cerdo. agaso. Nomina Græca, in, on, desinentia si ad declinationem latinã in. O. reducãtur, etiam breuiant. si apud Græcos breuiabant, ut Agamemno, Brito. Papinius in Achileide. 1. lib. Cõclamant Danai, stimulatq; Agamemno uolentes. Cæterùm si apud Græcos producebantur, produ

cuntur etiam apud nos, ut Simon. Horatius in Arte Poëtica, Pithias emuncto lucrata Simone talentum. Item Iuuencus, ille Simonis erat, tectis quē lurida lepra. Item Solon. Persius Satyra tertia. Esse quod Arcesilas, ærumnosiq; solones.

Al, alis, neutrum producit.

Exorditur deinde à consonantibus, & ab L primùm, quia nullum nomen tertiæ declinationis finitur in aliqua reliquarum consonantium præcedentium. Excipe tria in. C. lac, quod positione producitur. Verg. 3. Georg. Et salis occultum referūt in lacte saporem. Halec, ecis, quod natura. Mart. lib. 11. Halecem, sed quam protinus illa uoret. Melchisedech, quod producitur etiam. Mantuanus, Pectore sacrifici Melchisedechis erat. Excipe etiam duo in D. Dauid, quod producit Dauidis. Iuuēcus lib. 1. Nam genitus puer est Dauidis origine clara. In quo nomine prior producitur, tametsi Antonius breuiauit, Nostri dixere Dauidis. Sedulius contra regulam tamē breuiauit penultimam in eo uersu. Cur ego Dauidicis aßuetus cantibus Odas. Tu uerò Sedulium nō imitaberis. Bogud breuiat Bogudis.

Circa eandem regulā notabis in masculinis breuiari penultimam ut in Hannibal. Iuuenalis Saty. 10. Expende Hānibalem, quot libras in duce summo. Tametsi Probus Grammaticus (ut autor est Aulus Gellius li. 4. cap. 7.) Hæc & similia nomina putabat circūflectenda, inductus exemplo Ennij ex eo lib. qui inscribitur Scipio, Qui propter

Hannibalis copias consederãt. Carmen *est Tetrà tron Iambicum Brachycatalecticum, & in tertia regione Iambus est. Tu uerò id imitatione dignũ non censebis, sed perpetuò in his nominibus masculinis breuiabis penultimam.*

Nomen in, el, elis, protendit.

In hac regula notabis duo esse nomina Latina finita in, el, mel, & fel, quę positione producũtur. Horat. 1. Epist. Episto. 19. *Seruas. Fidis enim manare Poëtica mella.* Ouid. 3. de Ponto Elegia. 3. Tinctaq; *mordaci spicula felle gerãt.* C*ætera barbara sunt, quæ si ad nostram declinationẽ referãtur, adiectione syllabæ fieri debet.* Michaël *Michaëlus*, Gabriël *Gabriëlus, in quibus omnibus producitur penultima.*

Atq;, en, si mittit in, enis.

Sunt, qui à regula excipiant hoc nomen hymẽ, quod penultimam corripere putant in genitiuo hymenis, quandoquidem & deriuatũ eius hymenæus idem. E. *breue habet,* ver. 3. Georgico. AEtas *Lucinam, iustosq; pati* Hymenæos. Idẽ. 4. AEnei. Per *connubia nostra, per inceptos* Hymenæos. Priscianus *tamen hoc nomen inter* Cætera, *quæ* .E. *longum habent recenset.* Quare *hac in re nihil habeo certi quod præcipiam, cùm hoc nomen in obliquis nusquam apud* Poëtas *reperiatur, sed tantùm in recto.*

Tertia quod nomen declinat.

Exceptioni huius regulæ addenda sunt duo nomina, Ricimer *uiri proprium nomen. Sidonius,*

Cum Ricimere facit quem cur nimis oderit, audi. Item Ser. Verg. 2. Georgico *Velleráq; ut folijs depectant tenuia Seres.* Sunt autem populi qui inter Scythas, siue indos numerantur. Addunt etiam aliqui hoc nomen mulier, in quo affirmant penultimam produci, persuasi autoritate Prisciani qui in libello de accentibus cùm aſserat finita in, er, corripere penultimam in obliquis ut cadauer, eris, subiungit statim, excepto mulier, eris. persuadentur etiam autoritate Lucretij lib. 4. *Siue uirûm soboles, siue est mulieris origo.* Ego tamen teneo cum omnibus Grammaticis, qui sano sunt iudicio, penultimam in hoc nomine breuē eſse. Martialis. . li. *Amethystinasq; mulierū uocat uestes.* Carmen est Trimetron Iambicum Seazon, & in quarta regione habet Iambū. Quod carmen ne Grammaticos torqueat, habet in prima regione Anapæstum, in secunda iambum, in tertia Tribrachum, in quarta Iambum, in quinta Iambū, in sexta Trochæū siue Spondeum. Scanditur sic, Amethys, tinas, q; muli, erum, uocat uestes. Vbi apertè uidere licet in mulierum penultimam esse breuem. Ad Priscianum respondeo uerbum illud (excepto mulier, eris) nō esse Prisciani cùm ipse innumeris alijs locis diuersum sentiat, sed à sciolo aliquo insertum, nec adhuc cōstat utrùm libellus ille de accentibus sit à Prisciano editus, an potius adulterinus sit. Ad Lucretium respondeo non mulieris, sed muliebris legendum eſse. In hunc modum: *siue uirûm soboles, siue est muliebris origo.*

Porri-

Porrigit, oris, ab, or.

In hac regula notabis Priſcianum affirmare in genitiuo huius nominis Ador penultimam nūc pro duci, nunc breuiari ex autoritate uetuſtiſsimi cuiuſdam Poëtę Gannij, Breuis eſt in eo uerſu, Illam ſponte ſatos Adoris ſtrauiſſe maniplos. Longa eſt in eo, Emicet in nubes nidoribus ardor Adoris. Ego tamē teneo longam eſſe ſemper penultimam in hoc nomine, cum in Adoreum, quod inde deriuatur. O. perpetuò longum reperiatur. vergil. 7. AEneidos. Inſtituūtq; dapes, & Adorea liba per herbas. Horatius *quarto Carminum.* Ode *quarta. Qui primus alma riſit Adorea. Verſus eſt Alcmanius conſtans Iambo uel Spondeo, deinde Iambo, cæſura, & duobus* Dactylis. *Item notabis in nominibus comparatiuis ſiue à terminatione, or, ſiue à terminatione, us, penultimàm in obliquis produci, ut in melior & melius, melioris.* Horatius. *2. Epiſto, Epiſtola. 1. Si meliora dies, ut uina, poëmata reddit.*

as, atis, produc.

In *hac regula notabis hoc nomen uas ſi capiatur pro uaſe producere penultimam per regulam generalem etiam ſi in, atis, genitiuus non exeat. Nam per, as, atis. Nebriſſenſis intelligit nomina in as, tertiæ declinationis, ad differentiam eorum, quæ ſunt primæ. Auſonius de Agathocle, Fercula gemmatis cùm poneret aurea uaſis. Cæterùm ſi capiatur pro ſponſore, tùnc format genitiuum uadis & breuiatur.* Horatius *primo Ser-*

mo. Satyra prima. Ille datis uadibus qui rure extractus in urbem est.

Nomen in, is, quod mittit, idis.

Despauterius addit exceptioni huius regulæ tria nomina in quibus penultima est longa, Psophis, idis, Crenis, idis, Nesis, idis. Ouidius quinto Metamorpho: Usq; sub Orchomenon, Psophidaq; Cyllenenq;. Est autem nomen urbis. Reliquorum non est autoritas ad manum, Verùm hic Antonius de dictionibus Latinis, non de Græcis regulã tradit. Cætera adeò clara sunt in litera, ut nostra explicatione non indigeant.

De incremento nominum plurali.

Actum est de incremento singulari, reliquum est, ut agamus de plurali. Explicemus igitur quid nam sit, in qua syllaba ponatur. Incremẽtum plurale est excessus casuum pluralium supra genitiuum singularem. Singulas partes huius definitionis examinemus. Est excessus. Quia (ut superius notauimus) tunc dicitur esse incrementum, quando est syllabarum excessus. Casuum pluralium, Quia incrementum plurale tantùm in casibus pluralibus reperitur, & non in singularibus. Supra genitiuum singularem, Quia ille est scopus, quem debemus ante oculos habere præfixum, ut incrementum plurale poßimus innenire. Notabis ad incrementum plurale non eße habendam rationem nominatiui pluralis, sed genitiui singularis. Nam si nominatiuus ille pluralis attendendus esset, iam concedere deberes in animalibus, monilibus, sedi

libus, non reperiri incrementum plurale, cùm nominatiuum pluralem numero syllabarum non uincant, quod est satis absurdum, & ab omni ueritate prorsus alienum. Quòd si fortè nomina numero singulari careant, fingendus est genitiuus singularis, ut ad eam ueluti normam examinemus incrementum plurale. Vt in Athenæ, arum, Baiæ, arum, Cumæ, arum, fingendi sunt Athenæ. Baiæ, Cumæ.

Argumenta contra definitionem.

Si definitio uera esset, sequeretur nomina illa, quæ formant genitiuum in, ius, carere incremento plurali, cùm neq; unorum, neq; solorum, genitiuos singulares unius, & solius superent aliqua syllaba. Item sequeretur nomina quintæ declinationis carere incremento plurali, cùm casus plurales numero syllabarum non excrescant supra genitiuum singularem. Respondeo, in prioribus nominibus genitiuos irregulares unius & solius attendendos non esse, sed regulares uni, & soli, supra quos bene est excessus syllabarum in casibus pluralibus. In posterioribus nominibus eadem est responsio, nam genitiuus ille in, ei, irregularis est, regulares uerò sunt in, es, aut in, e, aut, ij, supra quos non dubium est, quin casus plurales excrescant.

Locatur autem incrementum plurale in ea syllaba, que ultimam singularis adæquat, ut in patribus, collocatur in penultima, quia ea æqualis est genitiuo singulari, in animalibus item, & uerubus.

His annotatis facilis est regulæ intellectus, omnia scilicet nomina habētia in plurali incremento aut. A. aut. O. aut. E. produci, ut Musarum, dominorum, dierum. Si uerò habuerint. I. aut. V. breuiari, ut patribus, uerubus.

De incrementis verborum,

Quia uerborum ratio à nominibus diuersa est, ideò ut eorum quantitas in coniugationis decursu facilè deprehenderetur, peculiares quasdam regulas pro uerbis tradidit Nebrissensis, in quibus tantùm ea, quæ annotatione digna fuerint, breuiter percurremus. Sed exponamus prius quid sit incrementum uerborum, in qua syllaba collocetur, & quotuplex sit. Incrementum in uerbis est excessus personarum in syllaba uel syllabis supra primam uerbi positionem. Discutiamus huius finitionis membra. Est excessus personarum, Quia ut millies à me repetitum est, Vbi est excessus ibi est incrementum. In syllaba uel syllabis. Quia in coniugationis processu, aliquando personæ positionem superant una syllaba, & dicentur habere unum incrementum. ut amamus, amatis. Aliquando duabus, & habebunt duo incrementa, ut amabamus, amabatis. Aliquando tribus, & sortientur tria incrementa, ut amaueramus, amaueratis, & si pluribus syllabis superauerint, plura etiam habebunt incrementa. Supra primam uerbi positionem, tametsi positio illa dicitur, unde nomen, siue uerbum incipit declinari, quantùm tamen attinet ad rationem incrementi,

non

non primam personam præsentis indicatiui uocis actiuæ, sed secundã appellamus positionem. Itaque ad uerborum, incrementa, secunda persona præsentis indicatiui uocis actiuę ceu scopus quidam, præfigenda est.

Collocatur autem huiusmodi incrementum in ea syllaba, quæ secundam personam pręsentis indicatiui numero syllabarum adæquat, ut in amamus, incrementum est in penultima, quia ea æqualis est secundæ personæ, amas.

Diuidunt Grammatici incrementum in prius, & posterius, incrementum prius est, quando ea uocalis, quæ in ultima secundæ personæ præsentis indicatiui fuit, in penultima esse cœpit, hoc est, quando uerbi positio una syllaba superatur, ut in amabo, amarem, & similibus, Incremẽtum posterius est, quando eadem uocalis in antepenultimã, aut etiam longius reijcitur, ut in amabimus, amaueram, amauerimus, & reliquis in genus.

Ex, do, fit, A, breuis.

His in genere annotatis, ad regulas descendamus, in quibus aliquid notatione dignum sese obtulerit. In uerbo, Do, & compositis primæ coniugationis. A in prioribus incrementis corripitur, ut in dabam dabo, darẽ, dare. Idẽ iudica in pessundabam, pessundabo peßundarem, pessundare. Itẽ in uenundo, circundo, & similibus. Verùm si A uocalis reperiatur in posterioribus incremẽtis, ubique producetur, ut in dabamus, dederamus, pessundabamus, & reliquis.

Plusquam perfectum.

Hic notabis regulam intelligi debere de plusquam perfectis, quæ Syncopen non patiuntur, nã si suis syllabis mutilentur, penultima lõga erit, ut in his plusquam perfectis. Quieram, defleram, impleram. Et ratio est, quia ea uocalis in præterito perfecto indicatiui, à quo hæc plusquam perfecta formantur, longa erat, hoc est in quieui, defleui, impleui. At uerò si una tantùm litera mutila sint & decurtata suam quantitatem retinebunt, ut petieram, audieram.

Semper, ero, vel, erim.

Hic notabis in, eram, & ero, hoc est in præterito imperfecto, & futuro imperfecto indicatiui uerbi substantiui penultimam etiam corripi, quẽadmodum in temporibus finitis in, ero, aut, erim, pro quibus addi solet à quibusdã hæc regula, Corripe, ero, uel, eram, coniunges quæq; sequuntur. Sed Antonius in commentarijs hæc tempora uerbi substãtiui cum temporibus finitis, ero, aut, erim, confudit, ac propterea peculiarem pro his regulam non tradidit.

E, verbum crescens.

Penultima tertię personæ præteriti perfecti indicatiui pluralis numeri per hanc regulam produci solet, ut in amauerunt, legerunt. verùm à Poëtis eadẽ penultima sæpißimè corripitur, quod potißimùm facere consueuerunt, quando aut subitam animi consternationem, aut rei agendæ celeritatem significare uolũt. Vt in eo carmine Verg.

3. AEneid. *Obstupui, steterũtq; comæ, & uox faucibus hęsit.* Itẽ in illo eiusdem Georg. 3. *Miscuerũtq; herbas, & non innoxia uerba.* Item in illo Silij Italici. lib. 8. *Terruerunt pauidos accensa ceraunia nautas.* Eiusdẽ generis est Vergilianũ illud Eclo. 4. *Matri longa decẽ tulerũt fastidia menses.*

Rimus, vel ritis.

De primis & secundis personis pluralibus præteriti & futuri subiunctiui modi in rimus & ritis, controuersia est, & non parua digladiatio inter Grãmaticos. Diomedes li. 1. De modis uerborum affirmat in præterito has personas corripi, in futuro produci, quam sententiam sequitur Iacôbus Micyllus li. 2. de incrementis uerborum. Quintianus Grammaticus Epographia. 2. cap. 3. De syllabæ accidẽtibus, tenet in præterito produci eas personas, in futuro breuiari. Cæterũ siue hoc siue illo modo præcipiãt, nõ dubito omnes deceptos fuisse. Ego itaq; cũ Probo Grãmatico, Seruio, Nebrissensi teneo penultimam in his personis siue præteriti sint, siue futuri, longam eße, idq; doctorũ hominũ usu cõprobatum uideo Ouid. 6. Metam. *Accepisse, simul uitã dederitis in undis.* Idẽ. 4. de Põto Elegia. 5. *Et maris Ionij transieritis aquas.* Idem eâdem Elegia, *Consulis, ut limen cõtigeritis, erit.* Catullus ad Lesbiam in carmine Phaleutico, *Dein cum millia multa fecerim⁹.* Aliquando tamẽ Poëtę licẽtia quadam Poëtica usi, aut metri neceßitate coacti corripere solent. Ouid. eodem li. & eâdem Eleg. *Hæc ubi dixeritis, seruet sua dona rogate.*

Idem

Item.2. Metam. Videritis stellas illic, ubi circulus axem. Vergil.6. Aene. Egerimus, nosti, & nimiũ meminisse necesse est. Reliqua omnia satis clara sunt.

De primis syllabis.

Quia multarum dictionum quantitas regulis superioribus non potuit cõprehendi, ideò tradit Nebrißensis priuatas quasdam regulas, quibus earũ quantitas facilè deprehendatur. Quas nos quibusdam particulis nihil significantibus artificiosè satis prosequemur, ut discentium ingenijs tenacius possint adhærere. Prius tamen intelligas oportet, quãdo in syllabarum quantitate inuestiganda ad primas, quando ad medias, quando ad ultimas confugiendum sit. Si dictio fuerit monosyllaba, in ultimis eam requires, si dissyllaba primam in primis ultimam, in ultimis, si polysyllaba primam in primis, ultimam, in ultimis, mediam siue illa sit una, siue plures, in medijs reperies. Quæ omnia uera sunt, ea lege tamen, ne regulæ superiores locũ habeant. Nam si uocalis fuerit ante uocalem, aut uocalis fuerit Diphthongo *notata, aut post uocalem duæ consonantes sequantur, tunc nec ad primas, nec ad medias, neq; ad ultimas confugiendum est, ut in sequentibus exẽplis, æs, est, fui, fundo fuissẽ, docui. Vt autem intelligas quam quantitatem habeant singulæ uocales ante omnes consonantes, accipe sequẽtes particulas, quibus sine ullo negotio rem omnem possis intelligere. Et primo loco de primis syllabis erit disputatio, deinde demedijs, po*

stre

ſtremò de ultimis.

De primis ſyllabis

Pro quantitate primarum ſyllabarum dignoſcē da deſeruiunt particulæ hoc carmine cōprehenſæ. Lenſteue, man, drinſmul, gombodos, corripe bul pu. Pro uocali. A. ante omnes conſonantes deſer uit, Man ſenſus eſt. A. uocalis ante has conſonan tes.m. & n. producitur, ante reliquas conſonātes corripitur,

Pro uocali. E. ſeruit particula lenſteue Senſus eſt. E. uocalis ante has conſonantes. L. N. S. V. T. longa erit, ante reliquas breuis.

Pro uocali. I. conducit, drinſmul. Senſus eſt. I. uocalis ante has conſonantes D. R. N. S. M. V. L. longa eſt, ante cæteras breuis.

Pro uocali. O. facit gombodos. Senſus eſt. O. uocalis ante has conſonantes. G. M. B. D. S. eſt lon ga, ante reliquas breuiatur.

Pro uocali. V. ſeruit bulpu. Cuius ſignificatio eſt V. uocalis ante has conſonantes. B. L. P. corri pitur, ante reliquas longatur.

Pro medijs ſyllabis.

Pro quantitate mediarum ſyllabarum deprehendenda faciunt particulæ ſequentis uerſus. Lon ga gauan. Cedment, quins, mondtos, corripe nul pub. Pro uocali. A. ante omnes conſonantes deſer uit, gauan. Cuius particulę intellectus eſt. A. uoca lis ante. G. V. N. longa eſt, ante reliquas conſo nantes breuis.

Pro. E. Cedmēt. Id eſt. E. ante. C. D. M. N. T. lon-

longa est, ante cæteras breuis.

Pro. I. *quins.* Hoc est. I. *ante.* Q. V. N. S. *producitur, ante alias breuiatur.*

Pro. O. *monstos.* Id *est.* O. *ante.* M. N. D. T. S. *longa est, ante omnes alias breuis.*

Pro. V. *uulpub.* Quæ *particula significat.* V. *ante.* V. *cōsonātē.* L. P. B. *corripi, ante cęteras produci.*

Pro vltimis syllabis.

Pro *quantitate ultimarum syllabarum accipe sequentia carmina.* Vncia *produxi, quibus as, es, os, quoq; iunxi.* Cætera *corripiunt, anceps reperitur.* O, *nostrum.* Quorum *sensus est,* Omnes *uocales & consonantes finales quæ sunt in particula, uncia, longę sunt, cæteræ uerò sunt breues, præter.* O. *quod apud* Latinos *indifferens est, nam aliquando longum, aliquando breue, reperitur.* Si *uerò coniungas uocales cum consonanti.* S. *as. es. os, producuntur, is, uerò & us, breuiantur.* Quæ *pręcepimus de* Primis, Medijs, Vltimis *syllabis, adcò certa sunt, ut nullus tametsi natura mordacißimus poßit nostram præceptionem mendacij, aut falsitatis arguere.*

De pedibus.

Imposuimus *ultimam manum quantitati syllabarum, & quia ex syllabis constantur pedes, ideò secundo loco quæ ad pedum cognitionem pertinere uidebuntur, breuiter percurremus.* Explicabimus *itaque quidnam sit pes, deinde unde pedis appellatio promanauerit, tū quot sint pedis accidentia, postremò de numero pedū suscipietur disputatio,*

tio. Pes à diuersis diuersimodè diffinitur. Diomedes Grãmaticus (ut autor est Nebrissensis cùm in litera, tum in cõmentarijs) duas tradit definitiones quarum prior est, pes est sublatio ac positio duarũ ampliusuè syllabarum spatio comprehensa. Sublatio ac positio, id est, fit ex sublatione ac positione, altera enim pars pedis scandendo tollitur, altera uerò deprimitur. Duarum syllabarum spatio cõprehensa, propter pedes, qui duabus tantùm syllabis cõstant. Ampliusuè propter pedes trium, aut quatuor, aut plurium syllabarũ. Posterior est, Pes est Poëticæ dictionis duarum ampliusuè syllabarũ excerta temporũ obseruatione modꝰ, recipiens arsin & thesin. Quæ definitio licet uerbis à præcedenti differat, re tamen eadem est. Notabis obiter arsin sublationem significare, thesin uerò positionem. Alij in hunc modũ definiunt. Pes est certa syllabarũ constitutio, temporibꝰ ac numero uariata. Quæ definitio cum pręcedentibꝰ eadem est. Notabis etiam pedem unica syllaba constare nõ posse licet longa sit, nam quemadmodum propria syllaba ex duabus, aut pluribus literis constat, ita etiã pes ex duabus, aut pluribus syllabis.

De appellatione pedis.

Nebrissensis in commentarijs aßerit dictos fuisse pedes, tum, quia quemadmodum nos pedibus ambulamus, ita & uersus pedibus incedunt. Ad quod allusit Vergilius eo carmine .1. Georgi.
Ferte simul Fauniq; pedem, Dryadesq; puellæ.
Tum quia illis, eo modo uersus mensurantur,

quo

quo nos spatia pedibus metiri consueuimus. Ego tamen ita existimo, *dictos fuisse pedes, quòd ut animalium pedes incedendo uicißim attolluntur, ac deponuntur, ita & metrici pedes inter se compositi quasi quendam gressum orationis efficiunt motumq; illius concinnum ac numerosum reddunt.*

De accidentibus pedis.

Accidunt autem pedi septem. Numerus *syllabarum, tempora, arsis & thesis, proportio inter arsin & thesin, figura, ordo, resolutio.* Numerus *syllabarum.* Quia *pes una syllaba constare non potest sed duabus, aut pluribus necessariò.* Tempora, *quia pes unico tempore constitui non potest, sed aut duobus, ut* Pyrrhichius, *aut tribus, ut* Iambus & Trochęus, *aut quatuor, ut* Spōdeus & Dactylus *& sic de reliquis.* Arsis & thesis, *arsis est sublatio pedis, qua una, aut plures syllabæ attollũtur, thesis est depositio pedis, qua una, aut plures syllabæ deponuntur, ut in* Iambo *uel* Trochęo *singulæ attolluntur, & singulæ deponuntur, quanquàm diuersa temporum proportione.* In Dactylo *autem in arsi singulæ sunt, in thesi binæ, contrà in* Anapęsto *in arsi binæ & in thesi singulæ.* Proportio *inter arsim & thesim.* Quæ *aliquando æqua est quando arsis in temporibus non excedit thesim, nec thesis arsim, ut in* Pyrrhichio, Spōdeo Dactylo Aliquando *est dupla, quoties arsis duplo maior aut duplo minor est quan thesis, ut in* Trochęo & Iambo. Nam *in* Trochęo *arsis duo habet*

tem

tempora, thesis uerò unum Contrà in Iambo, arsis unum tempus habet, thesis duo. Non placet ulterius in proportionibus procedere, ne rei difficultate Grammaticorum ingenia confundamus. Figura, quoniam alij pedes sunt simplicis figurę, ut illi qui constant binis uel ternis syllabis, alij composita, ut qui constant quaternis, aut quinis, aut pluribus syllabis. Ordo, Nam pro diuersitate carminum alij pedes alijs aut præponuntur, aut postponuntur. Resolutio, Quia alius pes in alium subinde resoluitur, quod fieri solet, quādo alius pes pro alio ponitur in carmine, ut Anapęstus pro Spondeo, Proceleumaticus pro Dactylo, Spondeus pro Dactylo, aut Dactylus pro Spondeo.

De numero pedum

Pedum numerus propè infinitus erit, Si pedes cum pedibus componamus, uerùm nos de uulgatioribus & communioribus agemus. Duarum syllabarum pedes tantùm quatuor sunt, quem numerū sic poteris colligere, quia aut utraq; syllaba est breuis, & inde nascitur Pyrrhichius, ut Deus. Aut utraq; longa, & inde Spondeus, ut montes gentes. Aut prior breuis, & posterior longa, & inde Iambus, ut parens. Aut prior longa, & posterior breuis, & inde Trochęus, ut solus.

Trium syllabarum pedes sunt octo, quem numerum sic poteris colligere, aut omnes tres syllabę sunt breues, & inde manat Tribrachus, ut dominus. Aut omnes longæ, & inde molossus, ut oppreßis. Aut duæ primæ sunt breues, & tertia lon

ga, & inde Anapæstus, ut patiens. Aut duæ primæ sunt lõgæ, & tertia breuis, & inde Antibacchius, ut natura. Aut prima est breuis, & duæ postremæ longæ, & inde Bacchius, ut iacentes, Aut prima est longa, & duæ postremę breues, & inde Dactylus, ut tempora. Aut prima & postrema breuis, & media longa, & inde Amphibrachus, ut amoris. Aut prima & ultima sunt longæ, & media breuis, & inde Amphimacer, ut excitans.

Quatuor syllabarum pedes sunt sexdecim, qui fiunt ex aliorũ cum alijs cõpositione. Si duos Pyrrhichios coniungas, efficies Procleumaticum, qui cõstat quatuor syllabis breuibus, ut ariete. Si duos Spondeos, Dispondeum, qui cõstat quatuor syllabis lõgis, ut oratores. Sic de Trochęis duobus, & duobus Iambis, de Trochęo & Iãbo, de Iambo & Trochæo, quos nõ est animus percurrere, quia rarò in carminibus reperiuntur.

De Metris.

Quemadmodum pedes ex syllabis constant, ita ex pedibus metra conficiuntur. Atq; ideò tertio loco qua poßimus breuitate de metris disputabimus quorum tractatio quatuor partibus absoluetur. Quidnam sit metrum, quot nominibus appelletur unde promanet metri appellatio, & postremò de uarietate metrorum erit sermo.

Quid sit metrum.

Metrum est certa atq; legitima pedum compositio, numero, modoq; finita. Pedum cõpositio, Quia ex uno pede nõ efficitur metrũ, sed ex duobus aut

plu-

pluribus. Numero, *Quia quodlibet genus metri certo quodā numero pedū constat, ultra quem non licet procedere.* Modoq́;, *Hoc est modulatione, nā in carmine efficitur modulatio quædam, qua si careat, adeò absonū erit, ut à ratione carminis prorsus sit explodendum.*

De nominibus carminis.

Appellatur autē metrum uarijs nominibus. Aliquādo metrū (quæ uox mensurā significat,) quòd suis pedibus ueluti mēsuretur. Aliquādo uersus, à uertendo, eò quòd ab unius lectione ueluti cursum uertimus, & ad alterū oculos atq; obtutū reflectimus, Id enim propriè uersum appellamus etiam in prosa oratione, quod una linea exaratum protēditur, & quo ad finem perducto, ad initium sequentis reuertimur. Aliquando carmen, à canendo, quòd carmina magis cantui accōmodata sint, quàm quæ prosa oratione scribuntur.

Vnde indita sit metris appellatio.

Promanat omnis metri appellatio à quinq; fontibus. Ab autoribus, ut Archilochium ab Archilocho. Hipponacticum ab Hipponacte. Pindaricum à pindaro. Homericum ab Homero. A materia de qua tractat, ut Heroicum, quòd res Heroicæ in eo describantur. Elegiacum, quòd res flebiles. Lyricum quòd res ad Lyram spectantes. A pede frequentiori, ut Spondaicum, quòd pluribus Spondeis, quàm Dactylis constet. Dactylicus, quòd pluribus Dactylis, quàm Spondeis. A numero pedum, ut Hexametrum, quòd sex constet pedibus.

Pentametrum, quòd quinq;. Tetrametrum, quòd quatuor. A numero syllabarum, ut Tetrasyllabū, quòd quatuor cōstet syllabis. Pentasyllabum, quòd quinque. Heptasyllabum, quòd septem, Endecasyllabum, quòd undecim. Duodecasyllabum, quòd duodecim.

Illud obiter notabis, ut titulos Odis Horatianis Præfixos intelligere facilè possis, in carminibus aliquando deficere unicam syllabam, & appellari Catalectica, quasi deficientia, Aliquando duas, & appellari Brachycatalectica, quasi breuiter deficientia. Aliquando unam aut duas syllabas superabundare. & dici Hypercatalectica, siue Hypermetra, quasi mensuram carminis excedentia. Quæ uerò suis syllabis nō destituuntur, neq; plurib⁹ quàm necesse sit, abundant, Acatalectica appellantur, quasi in nullo deficientia.

Notabis prætereà Odam, quæ uno genere uersus constat, appellari Monocolon, quasi unimembrem, quæ duobus, Dicolō, quasi bimembrem, quæ tribus, Tricolon, quasi trimembrem, quæ quatuor Tetracolon, quasi quadrimembrem. Item si finitis duobus carminibus, tertium carmen sit simile primo, dicitur Ode Distrophos, quòd post secundum carmen fiat ad primum conuersio. Si uerò finitis tribus carminibus, quartum carmen sit simile primo, dicitur Tristrophos, quòd post tertium carmen fiat conuersio ad primum. Si uerò finitis quatuor carminibus, quintum sit simile primo, dicitur Tetrastrophos, quòd post quartum carmen fiat

fiat conuersio ad primum. Si hęc attento animo cõsideraueris, nihil erit, quod tibi in Odis Horatianis exhibeat negotium, sed omnia erũt adeò aperta, ut luce ipsa meridiana uideantur clariora.

De varietate metrorum

Quia carmen Hexametrũ inter reliqua primũ tenet locum, ideò de eo prius erit sermo, de reliquis unum aut alterum uerbũ dixisse cõtenti erimus. Varia sortitur nomina, nam dicitur Hexametrum siue Senarium à numero sex pedum. Heroicum à materia, circa quam uersatur. Homericum ab inuentore Homero, iuxta sententiam Horat. in Arte Poëti. Res gestæ, Regumq́; ducumq́;, & tristia bella. Quo scribi possent numero mõstrauit Homerus. Pythiũ siue Apollineum, quoniã Apollo Pythius eo uersus genere per Sibyllas responsa dare consueuit. Spondaicum, quia in omnibus aut plerisq; locis Spondeum habere potest. Vt in eo carmine. Verg. 1. AEn. Tunè ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ. Dactylicum, quia in omnibus locis uno tantum excepto potest habere Dactylum, ut in eo Verg. 10. AEneid. Panditur intereà domus omnipotentis Olympi. Epicum, quia res diuinæ, humanæ, atq; Heroicæ hoc uersu continentur.

Dispositio pedum metri hexametri.

Cõstat carmen Hexametrũ sex pedibus. Primi quatuor indifferenter possunt esse Dactyli aut Spõdei, in. 5. regione frequentior est. Dactyl. in. 6 necessarius Spõdeus. Vbi notabis posse & carmẽ hexametrum recipere prater Dactylos & Spõ-

deos, alios pedes, qui licet eisdem syllabis nō constent, eisdē tamen constent temporibus, ut est pes Proceleumaticus, qui constat quatuor tēporibus, quemadmodum Dactylus & Spondæus, licet eisdē syllabis non constet, cùm quatuor syllabis breuibus cōstituatur. Verg. 2. AEneid. AEdificant, sectaq; intexunt abiete costas. Vt est etiam pes Anapæstus qui constat eisdem temporibus cū Dactylo & Spōdeo, licet ab eis syllabarum dispositione differat. Horat. 2. Episto. Posteriore Epistola. Vehemens & liquidus, puroq; simillimus amni.

De cæsura.

Recipit etiam carmen Hexametrum cæsuras, ideò explicare oportet, quidnam sit cæsura, quotuplex sit, & utrùm in cæsura, syllaba, quæ aliôqui breuis erat, longa fieri possit. Cæsura, quæ & incisum, & sectio à Latinis dicitur, est certa quædam pedū, in medio uersus intersectio, ita ut pars eorū ad præcedentem, pars ad sequentem dictionē referatur. Eius tres species potissimùm à Grammaticis referuntur, Hemipenthemimeris, Quando post unicum pedem syllaba una restat, quę partem orationis finiat. Penthemimeris, Quādo post duos pedes. Heptemimeris, Quando post tres. ut in eo uersu Verg. Musa mihi causas memora, quo numine læso, in syllaba, hi. post primum pedem, fit Hemipenthemimeris, in syllaba, sas, post duos pedes, fit Penthemimeris, in syllaba, ra, post tres pedes, fit Heptemimeris.

Tāta uis est cæsuræ, ut in ea, syllaba sua naturā

breuis

breuis pro longa nõnunquam à Poëtis ponatur. Ratio autem huius est, quia silentium illud quod fit in cęsura supplet tẽpus, quo syllaba breuis minor est, quàm longa. Id autem contingere solet in omnibus cæsuris, in Hemipẽthemimeri rarißimè. Lucanus. 2. Pharsaliæ. Dum sanguis inerat, Dum uis materna peregi. In Pẽthemimeri rarò. Verg. 10. Ecloga. Omnia uincit amor, & nos cedamus amori. In Heptemimeri rarius. Verg. 12. Ænei. Congredior, fer sacra pater, & concipe fœdus.

De pentametro.

Carmen Pentametrũ à numero quinq; pedũ dictũ est, primi duo pedes sine discrimine possunt esse Dactyli uel Spõdei, post quos sequitur cæsura, quæ semipedem facit, quę in syllaba longa fieri debet, licet aliquãdo à Poëtis fiat in syllaba breui ratione iam dicta. Aliquãdo etiã fit in dictione monosyllaba, licet non sit ab alia dictione cęsa. Ouid. 1. Fastorum. Difficilem mihi se nõ fore, pactus erat. Idẽ eodẽ lib. Qui melius per uer incipiendus erat. Duo postremi pedes necessariò sunt Dactyli, post quos sequitur cæsura, quæ semipedem facit, quæ potest esse aut syllaba lõga aut breuis, quia omnis syllaba in fine carminis indifferens esse solet.

De sapphico.

Carmen Sapphicum, quod à Sappho inuentrice nomen accepit, cõstat quinque pedibus, Trochęo, Spondeo, Dactylo, duobus Trochęis. Adonicum uerò, quod huic sociari solet, constat Dactylo & Spondeo tantùm, quale est illud Horatij

ex Ode.2. *Iam satis terris niuis, atq; dirae Grandi nis misit pater, & rubente Dextera sacras iaculatus arceis, Terruit urbem.*

De Phaleutico.

Phaleuticum carmen, quod à Phaleutio inuentore nomen habet, cōstat quinque pedibus, Spondeo, Dactylo, tribus Trocheis, quale est illud Catulli. Passer delicium meae puellae. reliqua genera metrorum in Odis Horatianis inuenies, quę nō fuit animus percurrere, ne in re, quae ad manum est omnibus exposita, tempus terere uideremur.

De accentu.

Promisimus nos ultimo loco acturos de accentu, & ut nostrā fidem liberemus, eum locū quàm optimè poßimus tractabimus. Ne id in his nostris praeceptionibus desideretur, quod cùm caeteris, tum potißimū presbyteris, qui sacris mysterijs tractandis initiati sunt, apprimè necessarium esse intelligo. Dicemus igitur in nostrae disputationis processu, quot nominib' appelletur accētus, quid nam sit, quotuplex sit, quo pacto accentus differant inter se, postremo loco trademus regulas accentus.

De varijs accentus nominibus.

Praecepimus in principio syllabam considerari dupliciter, quoad longitudinem & breuitatem, quoad altitudinem, & profunditatem. De priori consideratione actum est iam, de posteriori erit praesens institutio, non enim longitudinis aut breuitatis syllabae, sed altitudinis &

pro

profunditatis habetur in præsentia ratio. Varijs igitur nominibus appellatur accentus. Prosodia à pros quod est ad, & Ode cantus, quasi accentus. Itaq; quod græci prosodiam, Latini accentū appellant ab accinendo, quòd sit ueluti cantus quidā, quo unāquanq; dictionis syllabā efferimus. Tonus à uerbo Græco teino, quod extendere significat, quòd accentus sit ueluti extensio quædā syllabæ. Et hac eâdē ratione dictus est à latinis Tenor. Dicūtur etiam notæ uocū, quòd his ueluti notis quibusdā uoces notari soleant, apud Græcos præsertim, apud quos nulla est dictio, quæ suo accentu signata nō sit, Latini uerò in dictionibus tantùm ambiguis notare consueuerunt. Moderamēta uocum appellantur etiam à quibusdam, quòd accentus supra dictiones imperium & ueluti moderationem quandam teneant. Est enim accentus dictionis forma, nec potest aliqua esse dictio, quæ unū aut alterum accentum sua natura nō sortiatur. Ab alijs dicuntur uoculationes, quòd uocibus soleant præsidere, neq; extra eas usquam reperiātur. Hæc à me dicta sunt, ne diuersa accentus appellatio quorundam animis confusionem ingeneraret.

Quid sit accentus.

Accentus, est Modus siue modulatio quædā, qua syllaba eleuatur, aut deprimitur, aut eleuatur simul & deprimitur. Eleuatur accentu Acuto, deprimitur accentu Graui, eleuatur & deprimitur accentu Circunflexo: nō quòd eodem tēpore eleuetur & deprimatur syllaba, id enim cum omni

ratione & ueritate pugnat, sed quia accentus Circunflexus collocatur in syllaba natura longa, quę perfectè duo tempora consumit, prius tempus eleuatur, posterius uerò deprimitur, atq; ita fit quasi quidam flexus à sursum, deorsum, & propterea Circunflexus est appellatus.

Quotuplex sit Accentus.

Tres sunt accentus, ut èx diffinitione licet colligere. Acutus, Grauis, Circunflexus. Acutus est, Quo syllaba eleuatur. Grauis, Quo syllaba deprimitur. Circũflexus, Quo syllaba partim eleuatur partim deprimitur. Et licet tres sint accẽtus, illud tamen habebis semper ante oculos propositum, in qualibet dictione tantùm esse unicum accentũ principalem siue prædominantem, qui aut est Acutus, aut Circunflexus, nam Grauis huiusmodi dominationem siue imperium non tenet in dictionibus, sed in syllabis, ut inferius patebit.

De differentijs accentuum.

Quatuor sunt differentiæ inter hos accentus. Prima, Accentus acutus & grauis sunt simplices, nam neq; Acutus ex Graui, neq; Grauis fit ex Acuto. Circunflexus uerò compositus est, ut qui ex Acuto & Graui coniũctis efficiatur.

Secunda, Accentus Acutus & Circũflexus sunt accentus dictionum, nam in dictionibus dominãtur cùm nulla sit dictio, quæ hoc aut illo non signetur, ac propterea principales siue prædominantes dicti sunt. At uerò Grauis, est syllabarum accentus, nam in omni syllaba, quæ neque acuitur, neq;

circũ

circunflectitur, esse intelligitur. Depingi autem non solet supra syllabas, ne scriptura huiusmodi ueluti lituris deformari, aut turpari prorsus uideatur, contingit tamen aliquando accentum Grauem esse accentum dictionum, in Synepia, hoc est, consequentia dictionum. Nam cùm dictio Hebraica siue Græca, finitur in syllaba acuta, sequiturq; ante cæsum siue clausulam aliqua uerborum series, dissimulatur accẽtus ille Acutus, & pro illo ponitur Grauis. Hoc autem fieri solet, ut æquabilitas quædam & concinnitas in pronunciatione seruetur, ne in dictionum congerie, quæ sibi ipsis copulatæ sunt, & societate quadam coniunctę, aliæ ab alijs in efferendo separari, ac disiungi uideantur. Cuius rei exemplum habes in Genealogia seruatoris nostri apud Matthæum. Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abrám, Abràm autẽ genuit Isaac. In priori loco Abrám accentu Acuto in fine profertur, quia cæsum finitur. In sequenti Grauis ponitur pro Acuto, quia sequitur genuit Isaac. Idem est dicendum de clausulis sequentibus.

Tertia, Accentus Acutus tres sedes sibi uendicat, ultimam, ut sál, gèns, penultimam, ut Músæ, Déi. Antepenultimam, ut dóminus. Circunflexus uerò duas tantũm, ultimam, ut ros, môs. Penultimam, ut Mûsa in nominatiuo aut uocatiuo: In antepenultima uerò collocari non potest, quia deberet esse syllaba naturâ longa, & cùm ex Acuto & graui cõstituatur, prius tempus acueretur,

poste

posterius deprimeretur, & penultima & ultima deprimerentur etiam atq; ita spiritus quodammodò intercluderetur, & pronuntiatio in ultimis syllabis deficeret, ac propterea Græcis fuit cautum ne circunflexus in antepenultima collocaretur.

Quarta. accentus Acutus collocatur in syllaba aut breui, ut in sal, aut lõga positione, ut in géns. Circunflexus uerò neq; in breui, neq; in lõga positione, sed in syllaba natura lõga collocari necessariò debet. Ratio huius est, quia syllaba breuis unicũ tantùm sortitur tẽpus, quod si acuatur, habebit accẽtũ Acutũ, si deprimatur, Grauẽ, acui simul & deprimi nõ potest, ergo neq; habebit accẽtũ Circũflexũ. Itẽ syllaba positione lõga, natura breuis est & eâdem ratione circũflecti nõ potest. Reliquum est igitur, ut in syllaba naturâ lõga, quę perfectè duo tempora cõsumit, collocetur. Quorũ prius acui, posterius deprimi potest. Quòd si aduersum nos insurgas hoc argumento, & syllabam etiã positione longã sortiri duo tẽpora, cùm omnis syllaba lõga duo tẽpora consumat. Respondeo ex duobus temporibus, alterum consonãtium esse, alterum uerò tãtùm esse uocalis, ac propterea in syllaba positione longa Circunflexum poni nõ posse.

Regulæ accentus.

Vt regulas accentus tradere poßimus, distinguamus oportet de dictione, Aut est monosyllaba, aut dissyllaba aut polysyllaba. Si monosyllaba sit, in ea collocabitur accentus. Quòd si sit naturâ longa, accentus ille erit Circunflexus, ut in ôs, môs.

Si

Si breuis aut poſitione longa, accentus ille erit Acutus, ut in ſal, gens. Si diſſyllaba, in priori collocabitur accentus, nam nulla dictio Latina accentum habet in ultima. Et licet Antonius in litera præceperit differentiæ aut diſtinctionis gratia accentum aliquando collocari in ultima, ut in putá, ponè, palám, porró, ergó, uná, aliâs, id fecit, ne contra eam pronunciationem, quæ hominum ſui temporis auribus iãpridem inſederat, quicquã publicè præcipiſſe uideretur. Cæterùm in relectione accentus longè diuerſam tradidit præceptionem, ibi enim cum doctiorib⁹ loquebatur. Quòd ſi utraq; ſyllaba ſit breuis, aut utraq; lõga, aut prior breuis & poſterior longa, accentus ille erit Acutus, ut in Deus Muſæ, Dei. Cæterùm ſi prior ſit lõga naturâ, & poſterior breuis, accentus ille erit Circunflexus, ut in nominatiuo, & uocatiuo Mûſa. In ablatiuo uerò cùm utraq; ſit longa, in priori ponetur accentus acutus.

Si dictio ſit polyſyllaba, ad collocationem accentus tantùm eſt habẽda ratio penultimæ, quæ ſi fuerit lõga, habebit in ſe ipſa accẽtum, ut in amamus ſi breuis, trãsferetur ad antepenultimã, cuiuſcũq; ſit quantitatis, ut in legimus. Et licet Antonius in litera præceperit in dictionibus abſciſſis in eadem ſyllaba collocandum eſſe accentum in qua collocabatur ante abſciſſionẽ, licet ſit penultima breuis, ut in Mercuri, Valeri, in commentarijs tamen, & in relectione accentus Nigidij grãmatici ſui temporis ſapientiſſimi ſentẽtiam ſequitur, qui aſſe-

rebat

rebat in uocatiuo Valeri & Mercuri antepenultimam acuendam, quia penultima breuis eßet. Habeatur ergo hoc pręceptum pro indubitato, In penultima breui accentum collocari non posse. Vt uerò intelligas qualis accentus ille esse debeat, habenda est ratio tam penultimæ, quam ultimæ, quòd si utraq; fuerit breuis, collocabitur accentus Acutus in antepenultima, ut in dominus. Si utraq; fuerit lõga collocabitur accẽtus Acut⁹ in penultima, ut in accusatiuo Romános. Si penultima fuerit breuis, & ultima longa, locabitur accentus Acutus in antepenultima, ut in genitiuo domini. Si penultima fuerit longa natura, & ultima breuis ponetur accentus Circunflexus in penultima, ut nominatiuo Românus, & in uocatiuo Române. Ratio huius est, quia cùm penultima sit longa natura, prius tempus acuitur, posterius deprimitur & cũ ultima sit breuis, habeatq; tantùm unicum tempus, deprimetur etiam, atq; ita post tempus unum quod acuitur, sequuntur duo tantum, quæ deprimantur, quod satis bene fieri posse experientia magistra didicimus. Cæterùm si ultima etiam longa esset, duo tempora sortiretur, atque ita post tempus unum Acutum sequerentur tria Grauia, quod fieri non posse Græci omnes testantur, sic enim hebesceret omnis in fine dictionum pronuntiatio. Ex his patet, in qua syllaba cuiusque dictionis collocari debeat Accentus, & qualis accentus ille eße debeat.

Quæ Antonius præcipit de præpositionibus,

quæ cùm sua natura præpositæ accentum habeant Grauem, si postponantur acui solent, uera sunt: nam præpositiones cum suo casu unam tantùm dictionem efficere uidentur, atque ita ueluti in una dictione una tantùm syllaba acuitur, aut circunflectitur, non præpositionis, sed eius casus, quem regit præpositio, ut per transtra. Si uerò præpositiones postponantur, à suo casu uidentur separatę, atque regularem seruant accentum, nam quæ monosyllabæ sunt, accentu Acuto in fine proferuntur, quæ dissyllabæ, accentu item Acuto in priore, ut transtraper, tepenes.

Quæ pręterea pręcipit de ultimis syllabis clausularum, quę interrogatiuè proferuntur, in quibus licet ultimis accentus locari solet, tam certa sunt, quàm quæ certißima, nullus enim ambigit ultimas interrogationis syllabas acui solere, ut dixtine? fecisti ne?

Quę postremò tradit de mutatione accẽtus iuxta diuersam linguæ proprietatem multa obseruatione digna sunt. Nam si dictio Hebręa sit, si Hebraicè inflectatur, accentũ Hebræũ retinebit, qui plerunq; Acutus esse solet in fine, ut Abiá, si ad declinationẽ Gręcã reducatur, retinebit accẽtũ Gręcũ, Acutũ scilicet in penultima, Abías. Si ad Latinã habebit acutũ in antepenultima ábia, q̃a penultima est breuis. Quòd si dictio Græca sit, & Græcè inflectatur, accentu etiam Græco gubernabitur, ut lampas lampados. At uerò si declinatione

Latina

Latina inflectatur, accentu quoq; Latino est proferenda, ut lampas lampadis.

Hæc de *syllabarum quantitate*, de *nominum & uerborum cremento*, de *primis, medijs, ultimis syllabis, de pedibus, metris, accentu deniq; dixisse sufficiat, in quorum disputatione, si aliqua in parte à nobis peccatum est, nobis ipsis uitio uertatur, qui humana quadam cæcitate in tantis tenebris offendere potuimus. Sin minus,* Deo Optimo Ma*xi. acceptum referatur, à quo uniuersa doctrinæ nostræ, quantulacunq; est, momenta dependēt.*

FINIS.